

# PALAESTRA LATINA



ANN. XXXIX (Fasc. I) - N. 205  
M. MARTIO — A. MCMLXIX

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

*Praeses:* J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.

*Moderator:* Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesús Aspa, C. M. F.

*Praecipui scriptores:* Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 franc's; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

---

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## I N D E X

ANN. XXXIX (Fasc. I) - N. 205

M. MARTIO — A. MCMLXIX

L. E. SANSEGUNDO, C. S. B., <i>De vera hominum populorumque libertate</i> ... ..	1
T. CIREOLA, <i>Erithacus</i> ... ..	7
J. MARINELLI, <i>De re cosmonautica</i> ... ..	11
V. D'AGOSTINO, <i>Quaedam de Sancto Francisco</i> ... ..	15
N. MANGEOT, <i>Carmina</i> ... ..	19
D. LEPOUTRE, <i>Horis subsicivis</i> ... ..	27
RISUM TENEATIS ... ..	35
BIBLIOGRAPHIA, M. MOLINA ... ..	39

PALAESTRA LATINA  
LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

---

ANN. XXXIX (Fasc. I) — N. 205

M. MARTIO

A. MCMLXIX

---

DE VERA HOMINUM POPULORUMQUE  
LIBERTATE

*Fari possit quae sentiat (HOR. Epist. 1, 4, 9).*

Hac nostra, qua vivimus, aetate, quando ubique vox «libertas» tam crebris sermonibus usurpatur omnibusque in ore semper est, dissentaneum non erit, ea, quae hac de re partim scriptis auctorum legendis adnotaveram, partim ipse cogitando animadverterem, in hoc veluti fasciculo collecta tradere. Idque vel maxime cum dudum sacra Vaticana Synodus de tuenda conscientiae hominis libertate, omnibus paene consentientibus, tam praeclare egerit, et solemnium Patrum decreto sanciverit.

Legentes autem initio jam monitos velim nos hic non agere de nimia illa libertate —vel potius dixeris licentiam—, quae jus fasque omne prorsus usque labefactavit, immo sustulit omnino, quamque vel ipsi veteres explodere conabantur, sed de vera et germana illa libertate, dulcissima quidem, non infesta, quae homines a cupiditatibus animi ac perturbationibus liberos facit, atque adeo tum viros tum civitates bene moratas decet.

Enimvero, cum philosophia tria bonorum genera statuat, honestum videlicet, utile ac jucundum, haec tria in libertatem cadere videntur, quatenus nihil libertate honestius, nihil utilius, nihil jucundius concipi possit. Haec plane rudissimo cuique in prospectu sunt.

## LIBERTATIS NOMEN UNDE

Libertas ducunt quidam a *liber* et exinde a *libet*, quia liberi, quod libet, facere possunt. Hinc PERS. 5, 83: «An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam. Cui licet, ut voluit? licet, ut volo, vivere: non sim liberior Bruto?»

Generatim *liber* est qui nullius habito respectu, quod sentit, dicit et facit; item expeditus, solutus, nulla re impeditus. Libertas autem est naturalis facultas faciendi quidlibet, vel quod cuique facere libet, nisi quod vi aut jure facere prohibeatur. Homo quippe liber dicitur is, qui seipso contentus est, et ex se pendet, non ex alterius arbitratu et imperio. «An ille mihi liber, inquit Cicero, cui mulier imperat, cui leges imponit, praescribit, jubet, vetat? (*Parad.* 5, 2, 36).

His praemissis, triplex libertas expendenda nobis est:

## 1. DE INTEGRA SEU LIBERA JUDICANDI SENTIENDIQUE POTESTATE.

Libertas in eo vel maxime posita est, ut cuique sit libere loquendi et libere sentiendi facultas. Servi, enim, non liberi est, quae quis sentiat, non dicere. Senectutis ultimae Syracusana quaedam mulier, Dionysii tyrannidis impatiens, sola cottidie matutino tempore deos, ut superstes esset Dionysius, orabat. Quo cognito, eam accersit, curque id faceret interrogavit. Tum illa: «cum puella essem, tyrannum habebamus, quo carere cupiebam. Eo interfecto, tetrior aliquando sceptrum occupavit, cujus obitum avidius exoptabam. Tertium te superioribus importuniorem habemus. Itaque timeo, ne te absumpto, in locum tuum deterior succedat». Quapropter tantam mulieris libertatem Dionysius punire erubuit.

Hujus rei gratia Cicero dicit: «Hoc liberiores et solutiores sumus, quod integra nobis est judicandi potestas» (*Acad.* 4, 3, 8). Itaque liber dicitur de illo qui nullo ducitur partium studio: «Vos, dii patrii ac penates, testor, integro me animo ac libero causam defendere» (*Cic. Sull.* 31, 86). Et «libera uti lingua collibitum est mihi» (*Liv.* 35, 32).

Subinde libertatem imminuere nihil aliud est quam injuriam quamlibet alicui inferre. Nam qui injuriam accipit, in ea re libertatem amittit, cum libertatis proprium sit laedi in vita a nemine, aut impediri quo minus possit se ipso et rebus suis uti ut libuerit (*Cf. Cic. Leg. Man.* 5, 11 et *Caecin.* 12, 35).

Ergo, homo, ut persona quidem humana, «suum jus atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debet» (*Cic. Orat.* 1, 52,

226), quippe quod «omnes homines natura libertati studere et condicionem se servitutis odisse» (CAES. *B. G.* 3, 10, in fin.).

Quidam captivus cum venundaretur, ac praeco diceret se mancipium vendere; «Scelestes, inquit, num tu dices captivum?» Non puduit durae condicionis, sed puduit tituli servilis. Tantus erat libertatis amor (PLUTAR. *in Lacon.* 3). Natura enim ita comparatum est, ut qui inviti serviunt, ii libertatem affectent, et quod cupiunt, ad id obtinendum capta opportunitate erumpant. Nam in omnibus mortalibus libertatis desiderium est innatum, adeo ut iis qui inviti et coacti miseras perferunt, quaevis vel levissima occasio ad res novandas idonea videatur.

Nulla servitus turpior quam voluntaria (SEN. *Epist.* 47. 17).

Libertas, ut dicebam, est potestas faciendi quod jure licet. Quod toto caelo distat a licentia, servitutis comite individua. Est autem quaedam voluntaria servitus, qua nihil exitiosius, nihil detestabilius in hominem cadere potest, nam «Sibi servire gravissima est servitus» (SEN. *Nat. Qu.* 3, 17). Haec est licentia «quam stulti libertatem vocant» (TAC. *Dial.* 40, 2). Ac proinde Horatius quaerit:

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus (*Sat.* 2, 7, 83).

Igitur «alterius non sit, qui suus esse potest. Nam o nomen dulce libertatis!», dicit Cicero (*Verr.* 5, 63, 162). Non immerito ab Aesopo dicitur «Non bene pro toto libertas venditur auro» (*Fab.* 54, 25). Cui consonat illud nostri D. Quijote ad Sanctium:

«La libertad, Sancho, es uno de los más preciosos dones que a los hombres dieron los cielos: con ella no pueden igualarse los tesoros que encierra la tierra, ni el mar encubre. Por la libertad, así como por la honra, se debe y se puede aventurar la vida» (*Pars II*, cap. 58).

## 2. QUISNAM POPULUS LIBER AC SOLUTUS?

Speciatim, politica ratione liber populus dicebatur, qui sui juris erat, quique propterea neque uni regi neque aliis populis parebat, atque adeo erat status liberae reipublicae, democratiae; item qui erat hujusmodi libertatis amans. Ita Cicero: «Aliae nationes servitutem pati possunt; populi Romani est propria libertas» (*Phil.* 6, 7, 19). Item: «Et a regum et a patrum dominatione solere in libertatem rem populi vindicari non ex liberis populis requiri» (*Rep.* 1, 32). Et alibi: «Ut eximia potentia principum oritur interitus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas ipsa servitute afficit» (*Rep.* 1, 44). Quapropter Tullius Patres conscriptos monet ut patrium animum virtutemque capiant, ut aut libertatem propriam Romani et generis et nominis recuperent, aut mortem servituti anteponanant (*Phil.* 3, 11, 29).

Exinde est quod de Pyrrho memoriae traditum est. Cum Athenas veniens, in arce Palladis rem divinam fecisset, eodem die descendens ex arce, Atheniensium erga se animum et fiduciam vehementer laudavit; et admonuit, si saperent, ne posthac cuiquam regum portas (si modo patriae libertatem tueri vellent) aperirent, significans regibus, imperatoribus ac principibus semper invisam esse rerum publicarum libertatem omnesque conatus ac vires eo intendere, ut libertatem extinguentes, ex liberis servis sibi faciant.

Ceterum, in optimatum dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo (Cic. *Rep.* 1, 27). Ac per hoc «reliquae civitates—dicit Caesar—sollicitant, ut in ea libertate, quam a majoribus acceperant, permanere, quam Romanorum servitutem perferre malent» (CAES. *B. G.* 3, 8, 2). Existimabant enim libertatem esse quandam beatitudinem, nec sine fortitudine eam retineri posse. Immo, pericula bellica non sunt defugienda: «Pro legibus arma / Ferre juvat patriis libertatemque tueri» (LUCAN. 2, 282).

Ad rem spectat quod Philippo narrant historiae. Cum in agros Lacedaemoniorum duxisset exercitum, resque in eo esset statu, ut probabile esset eos ad unum omnes interituros, rex dixit cuidam Spartiatae: «Quid nunc facietis, Lacedaemonii? At ille: Quid, inquit, aliud, nisi quod fortiter moriemur, quando nos solos Graecorum liberos esse, non aliis parere didicimus? Nemo servire cogitur, qui mori paratus est». Quam dulce bonum est libertas, quae morte emittitur; quam misera res servitus, cui mors anteponitur.

Et re quidem vera, emori per virtutem praestat, quam amissa libertate a majoribus parta, ludibrio esse genti barbarae et immani, «quae prae se omnes homines contemnit, cujus superbae sunt aures, contumeliosa dicta, aditus difficiles, novae crapulae, inhumana crudelitas» (JOAN. MARIANA, *De re pub. Hispaniae*, lib. 2, 4).

Cujusmodi libertas tanta fuit apud Romanos, ut Dea fuerit eis hoc nomine, cui templum in Aventino a quodam Graccho ex multatitia pecunia constructum fuit, ut narrat Livius (24, 16, 5). De quo Cicero: «Quid Opis, quid Salutis, quid Concordiae, Libertatis, Victoriae? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit» (*Nat. Deor.* 2, 23, 61). Hinc eleganter et invidiose templum Licentiae Cicero, quod in ejus domo P. Clodius exaedificaverat Libertatis templum: «Tu simulacrum non Libertatis publicae, sed Licentiae collocasti» (*Dom.* 51, 131).

Sed veniamus jam ad illam dulcem libertatem, qua quis jugiter gaudere potest, si velit.

## 3. LIBER EST IS EXISTIMANDUS QUI NULLI TURPITUDINI SERVIT.

Haec Tullii sententia (*Ad Heren.* 4) adumbrat pulcherrimam honestissimamque hominis libertatem, quae viris bene moratis potissimum convenit, quamque Seneca exprimit in hunc modum: «Inaestimabile bonum est suum esse» (*Epist.* 76, 6). Quasi diceret non esse verum liberum nisi cujus animus ab omnibus mundi rebus expeditus et veluti solutus, nemini servit. Nam idem asserit: «Quid sit libertas? quaeris; nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus, fortunam in aequum reducere», quandoquidem «qui multis eget, liber esse nullo modo potest» (*Epist.* 9. 5).

Insuper, Pythagoras neminem liberum esse judicabat, nisi qui sibi imperaret (*STOB. Serm.* 6, 2); Bion autem bonos famulos libertate frui dicebat, at malos liberos multarum cupiditatum servos existere (*Id. Serm.* 2, 4). Et certe bonus famulus erat Diogenes, qui cum Xeniae serviret, amici agebant de eo redimendo. At ille: «Nequaquam, inquit; an nescitis leones non iis servire, a quibus aluntur, sed altores potius servire leonibus? Nam leo ubicumque est, semper leo est» (*LAERT.* 7, 3). Etenim nullus est servus qui animo sit liber.

Ceteroquin, nihil beatum, si absit libertas. Idem Diogenes, praedicantibus beatum Callisthenem philosophum, quod apud Alexandrum apparatu splendido exciperetur, «Immo, inquit, infelix est, quod illi prandendum cenandumque sit, cum Alexandro visum fuerit»: sentiens nihil esse beatum, si absit libertas. Hic est Callisthenes, Aristotelis discipulus, quem Alexander tandem conjecit in carcerem, ubi et periit. Quidam pro Callisthene supponunt ipsum Aristotelem, quibus ejus felicitatem praedicantibus, quod cum regis filio viveret, «Aristoteles, inquit, prandet cum vult Alexander; Diogenes cum vult Diogenes» (*LAERT.* 6, 2).

Tum denique, ubi regnat luxus, ibi libertas diu esse nequit. Agesilaus cum quendam admirari videret, quod rex cum caeteris Lacedaemoniis tam frugali cibo vestituque uteretur, «Atqui, inquit, pro hac frugalitate optimam messem metimus, libertatem videlicet», sapienter admonens nullam esse voluptatem viris ingenuis libertate suaviorem, nec ibi diu libertatem esse posse, ubi luxus regnat. (*PLUT. in Lacon. Apoph.*). Haud frustra cecinit Flaccus:

Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti (*Epist.* 1, 10, 41).

\* \* \*

Quae ita cum sint, hic gradum sisto. Hoc unum addam ut totius rei summan unico ceu verbo comprehendam. Cicero duo semper sibi contingere optabat: primum, ut moriens, populum Romanum

liberum relinqueret, quo nihil a diis immortalibus majus dari posse dicebat; alterum, ut ita cuique eveniret, ut de re publica esset optime meritus. Haec quoque vota nobis sint. Libertatem amplectamur eamque pro aris et focus, ut dicitur, tueamur. Verum non tantum illa libertas, quae nos decet ut homines mortales, sed illa summa et praeclara libertas nobis expetenda est, quam Christus nobis promeruit.

Ille quidem a nobis durum servitutis jugum depulit, sustulit, abolevit. Ingenui namque sumus, cum non solum «jure naturali —ut dicit Ulpianus legisperitus— omnes liberi nascamur», sed quod Deus sanguine Christi nos sua libertate donavit. Haec est optanda libertas, haec desideranda, haec totis viribus et majorem in modum requirenda. Jam vero, in recte factis, probe dictis, atque optime cogitatis, quibus rebus germana libertas absolvitur, summa cum laude versantibus, ea frui jam nobis datur in terris, sed etiam nos manet in Patria. Non incassum veteres dicebant: «Ubi libertas, ibi patria». Numquam ipsimet nobis praecidamus istam licentiam libertatemque vivendi, quam nobis Salvator vindicavit, ut aevo sempiterno ea frui possimus.

LEO E. SANSEGUNDO, O. S. B.

In Monasterio Montiserrati ad Barcinonem in Hispania



# ERITHACUS

*Carmen hoc in Certamine Vaticano VIII  
aureo praemio donatum est.*

Sanguineis insignis avis sub pectore plumis,  
audin? Jucundo zephyrus cum murmure perflat  
laetus humum, atque infracta crepat per stagna lacusque  
jam glacies, primus nitet inter gramina passim  
nuntius optati niveus flos denique veris!  
Nunc tibi parva domus curae est, arguta volucris,  
commoda quae matri tepeat pullisque futuris.  
Si qua novis certo bene culti limite campi  
inter saxa virens saepes jam floribus halat,  
aut si frondentes fecundo e cortice ramos  
exsertant arbusta, patet truncusve caverna  
exesus carie, nido hic locus aptus habendo.  
Huc illuc saliens quaeris quae frigore pridem  
fixa solo jacuere, movet folia arida ventus.  
Quin etiam rostro pratis decerpis acuto  
nuper gleba vicens viridem quam protulit herbam.  
Saxa volans petis in silvis levis inlita musco,  
ex quo grata refers instructo stramina nido.  
At quo plus tepeat teneris post culcita natis,  
pluma tremit flabro spinis si innexa secundo,  
aut trepidat vellus duris in sentibus haerens,  
haec rapis, haec nido superaddis sedula molli.  
Qui tamen ad solis radios haud eminent umquam,  
ast umbra depressus humi fit tutus opaca.

Saepe tui generis sollers has deseris oras,  
gratior et regio est gelido subjecta trioni.  
Quin, mirum, extremam petitis denso agmine Thulen,  
scilicet ut subolem faciles supplere queatis,  
unde iterum, pleno postquam tumet uva rubore,  
una cum natis Italos remeatis ad agros.

Imparibus gaudet numeris vestrum genus. Ergo  
quinque vel, ad summum, septem cumulatur aventi  
ovis daedalea exstructus tibi nidulus arte,  
alba nitent roseo passim quae inspersa colore.

Induit interea tellus se floribus, antris  
 effundunt hederæ tepido sub sole corymbos,  
 agricolæ primas succidunt falcibus herbas,  
 rubra inhiant pueri patulis cerasa oribus horto.  
 Omnia quæ minime curas, sed condita nido  
 præcipis ova fovens optatos pectore pullos.  
 Haud procul inde sedet ramo et vir carmine longum  
 conjugis ipse sua solatur sponte laborem,  
 aut circumvolitans cultis tibi comparat agris  
 quas ferat ille dapes mox nidum lene foventi.

Ast ubi post decimam nitido jam tertia caelo  
 nubibus illuxit paulatim aurora fugatis,  
 e fragili implumes erumpunt cortice pulli  
 atque micant parvis vitæ modo cordibus aucti.  
 Nunc matri gravis atque patri labor impendendus,  
 protinus ut possit felix succrescere proles.

Matutinus agros qui findit vomere molles  
 agricola, et rorem submotis discutit herbis,  
 floridum et in pratis ferro qui demetit unco  
 fenum, aut maturas de palmitate colligit uvas,  
 semper, avis, recinentem operis te agrestibus audit.  
 Quæ panis vel mica manu, vel decidit ore,  
 jentantis prope ruricolæ, hanc rostro arripis acri,  
 Interdum qui stratus humi frondentis in umbra  
 saepis fessa levat sibi membra parumper arator  
 duro te rostro crepitantem comminus audit  
 florea dum carpis latebrosis germina dumis.  
 Qui gelidus fors serpit humi, piger orbibus errans,  
 vermiculus, vel fraga rubent quæ in sentibus uda,  
 pervolat aut aestu medio quæ muscula ruri,  
 quæ pruno mitis dependet baca virenti,  
 pullis hæc præbent tibi semper edacibus escam,  
 his contenta soles mensas ornare secundas.

Continuo ut laetis nati stridoribus artam  
 certatim casulam pudentes guttura complent,  
 cum matrem adspiciunt celerem sibi grata ferentem  
 pabula, vel patrem dapibus bene ruris onustum!

Sed jam majores auctis sibi viribus audent  
 nisus, et cupiunt pulli cito linquere nidum.  
 Atque hic prima solo dubius vestigia figit,  
 audax procedit terraque revolvitur ille.  
 Mater adest, et cauta vagos compescit euntes  
 longius, at timide gradientes protinus urget.  
 Quin etiam teneris se jam committere pennis

audent. Paulatim tenues majoribus auras,  
terram aspernati, pertemptant saltibus usque,  
donec et aethereis oris expanditur ala.

Haec tua, mitis avis, placidae sunt munera vitae,  
his et laeta soles jucundis moribus uti.

Mollia sed pullo late cum terga colore  
inficiantur, at inferior teres albicet artus,  
et nigrore tibi latus infuscetur utrumque,  
purpurea guttur pluma cur subrubet imum?  
Quae jam per longum saeculis labentibus aevum  
fama tulit, carae quae accepit matris ab ore  
nata, suisque libens natis post tradidit ipsa,  
haec haud ingratum memori nunc mente referre.

Heu, vario flagrans furit ingens turba tumultu,  
sanguinis atque homines pertemptat dira cupido.  
Militibus mortis nudato in colle ministris  
centurio dux est. In vertice conspicitur crux  
funerea, affixus clavo cui membra trabali  
pendet homo multo confectus vulnere corpus,  
divini quiddam cruciato ast emicat ore.  
Illi contextum e spinis perfringit acutis  
sertum deciduo paulatim impexa cruore  
tempora, uterque tumet saeva pes cuspide fixus,  
dum pia transverso panduntur brachia ligno.  
Exigua titulus summo sub stipite ternis  
cernitur inscriptus linguis pro gente tabella,  
Rex Judaeorum: populus sed voce repugnat.  
Adfixi crucibus dextra laevaue latrones,  
alter in insontem socium convicia vecors  
ingerit, at contra morienti supplicat alter  
ut memor ipse velit se ad summum arcessere regnum.  
Stat juxta crucem et os lacrimis inspergit amaris  
mater, et ille piae morientia lumina volvit  
semianimis, dulcemque oculis effundit amorem.  
Sed furor insani populi prope gliscit in horas.  
Saevum odium ardentes animos et caeca simultas  
efferat, oblitos humanae munera vitae.

Cum procul extemplo liquidis auditur in auris  
sibilus alarum et fremitus, simul advenit alto  
raptim avis e caelo, pectus cui conditur alba  
exiguum pluma. Convertunt lumina vocemque  
ore premunt omnes. Celeris sed protinus illum  
ima volans adit e duro qui stipite pendet,  
ac moriens vultu divinum expirat amorem.

Aequatis sacrum supra caput adstitit alis,  
carminaque et luctus iterans loca questibus implet.  
Tamquam alis si dulce velit circumdare passis  
dein hinc inde caput, propius succedit, at album  
immemoris spina pectus laceratur acuta,  
sanguineusque fluit parvo de vulnere rivus.  
Nec mora: stillanti sensim perfusa cruore  
pluma rubet. Tollens oculos vix morte gravatos  
Jesus avi arridet maestum quid fronte benignus.  
Avolat illa, rubrum pectus sed sanguine servat,  
purpureoque habuit semper de pectore nomen.

Prof. THEODORUS CIRESOLA  
Viale Brianza, n. 22  
MEDIOLANI (20127 Milano) in Italia

# DE RE COSMONAUTICA

(haec eam, quae in n. 201 est edita, pars quarta sequitur)

(XXXIX) - Septimo idus jan. MCMLXVIII, septima semis hora ante meridiem, per quoddam missile, cui nomen «Atlas Centaur», pro vectore agens, tripedalis machina speculatrix, «Surveyor 7» appellata, ex ea, unde est solitum, Foederatarum Americae Civitatum regione «Capte Kennedy» in aetherium est projecta spatium. Eadem in lunari solo, pro optima in re cosmica eruditorum sententia, se leniter positura atque ipsius superficiei imagines, ope lucis per aptatam machinulam impressas, erit in praestituta Terrae loca transmissura.

Trecentorum septuaginta quinque milium km. peracto itinere, quinque et sexaginta interjectis horis, ut optime ex siderali disciplina computatum est, loco praestituto, qui propius circumjacet cratera, quem «Tycho» dicunt [clarissimus hic astronomus, sextodecimo saeculo in Dania ortus, qui, praeterquam quod multa de Luna scripsisset, quantum a circulo aequinoctiali (vulgo «Aequatore») plurima sidera distarent sapienti computavit studio], hora ante meridiem altera, quinto idus ejusdem mensis, «Surveyor 7», ultima hujuscemodi ordinis speculatrix machina, leniore lapsu se posuit.

Est hic locus in lunae regione positus, inter meridiem et solis ortum, quam terrigenis spectare licet: admodum varius, passim potius iniquior, seu lapidosus seu pulverulentus, frequentibus etiam saxis constratus; ipsa saepe saxa altiora, quasi tertiam cujusvis aedificii terrestris contignationem aequantia, praerupta alia, in immensam altitudinem praecipitia alia. Quae soli varietates conspici possunt in observandis quibusque imaginibus illius regionis e Terra spectabilis, inter meridiem et solis occasum, per aptatam machinulam lucis ope impressis. Ex cratera, qui, ut superius diximus, «Tycho» a doctis nuncupatur, cujus originem nonnulli verisimile videri aiunt vulcaniam esse, alii autem ex aerolitho violenter delapso fuisse profitentur, quaedam lux longe lateque emanat, qua per plurima km. potentia circum radiantur loca.

Eadem speculatrix machina, cujus pedes in lunari superficie integri adhuc perstant, a peritis rei cosmonauticae viris atque opificibus una maxime hujusmodi ceterarum est perfecta et absoluta: nam, «televisionis» instrumentis est praedita, ut per aetherias undas ad terrigenas variae lunaris soli imagines pervenire possint; est insuper quaedam effodiens aptata palmula, seu quoddam prehensans brachium ad humum experiendam, quo nempe modo consistat; par-

va quadam officina est, postremo, instructa ad corporeas particulas chimica arte conficiendas, nec non et magnete lapide, electrica vi acta, qua ferrea corpuscula, si forte inveniuntur, alliciantur ac trahantur. Multa imaginum milia, quae in Terram deinceps transmittentur, subtilius interpretandi sibi studium laboremque non pauci eruditi jam sumpserunt.

(XL) - Decimoprimo kal. febr. a. MCMLXVIII: media fere nocte (hora italice computata), ex illa «Cape Kennedy» dicta regione, in «Foederatis Americae Civitatibus», quaedam aerea navicula, «Lunar Module I» nuncupata, in aetheria projecta est spatia: est quoddam vehiculum, ea constructum ratione, ut cosmonautas recipiat ad lunarem superficiem appulsuros. Alterum vehiculum est ipsi conjunctum, «Apollo» dictum, quod tertium cosmonautam recepturum erit.

Propulsus datus est eidem naviculae per quoddam machinamentum igniferum, ingenti mole (vulgo italice «razzo»), quod «Saturnum» appellant.

Cum vehiculum «Apollo» circum lunarem orbem iter inire coeperit, navicula «Lunar Module I», ab eo disjuncta, duos cosmonautas, in lunari solo deponendos, volatum pergens, transferet, cum interim tertius in vehiculo «Apollo» maneat, expectans dum itineris comites rem exploratoriam super lunare solum gesserint, quibuscum in Terram redire oporteat.

«Lunar Module I» ex duobus constat partibus: altera, inferior, qua duo cosmonautae, postquam Terram per aliquot horas circumierint, levi descensu in lunae superficie se deponant; altera, superior, capsam quandam gestat, quae omnia suppeditet ad cosmonautarum vitam cultumque servandum.

Experimento per hujusmodi naviculam prospere exacto, colligit tandem potuit aliud experimentum quam primum effectum fore per naviculam viros impositos vehementem.

(XLI) - Pridie nonas apriles, a. MCMLXVIII: hora sexta inita (latine dicendi more), seu prima post meridiem, ingens quoddam igneum jaculum (vulgo italice «razzo»), «Saturnus 5» dictum, quo, instar vectoris, americani, rei cosmonauticae studiosi, aeronavem «Apollo» ad lunares oras appulsuram, non ita multo post, arbitrantur, consilium jam praestitutum fefellit: ut nempe iterum iterumque experimentum efficiatur, quod ultimae aeronavis volatum praecedat, nonnullos viros in lunari solo depositurae. Quod missile tamen circum Terram quempiam orbem inivit sine suo damno.

Idem autem, cum quodlibet communistarum Foederatarum Russiae Civitatum aliud missile et efficientia et vi duplo superet, tribus est partibus constitutum: quinque primae partis motoria instrumen-

ta accensa tempore sunt; quare ipsum jaculum, robustis quattuor metallicis brachiis modo adhuc detentum, tam insuper altum ut sextam ac tricesimam cujusvis aedificii contignationem aequet, ex declivi tractu, momento temporis quo eadem brachia, per electronici cerebri, quod dicunt, indicium, aperiebantur, sublime est elatum. Cum subito duo ex quinque motoriis alterius partis instrumentis agi desita sunt antequam praevideri posset.

Itaque, hujusmodi experimentum consilium quidem praestitutum fefellit; porro tamen demonstrare valuit —quod ceterum a peritis rei cosmonauticae viris plurimi aestimatur— nullum detrimentum homines passuros, si qui forte impositi in aeronave essent: nam, ipsos, orbe circum Terram completo, e communi norma terrestrem superficiem appulsuros esse. Ejusdem re vera diei vespere, aeronavis «Apollo» integra in Oceani Pacifici aequora rediit.

(XLII) - Decimoseptimo kal. octobres, a. MCMLXVIII: Quaedam machina, aetherii spatii speculatrix (italice vulgo «sonda»), cui nomen «Zond 5», a Foederatis Russiae Civitatibus per inane aetheris spatium jacta est, nullo ex publica auctoritate prolato nuntio, nisi forte ex quapiam regione ad solis occasum vergente, ut ex Iodrell Bank, in Britannia, et ex Bocho, in Germania, quidam caeli siderumque spectatores, qui quasdam pulsationes, hujusmodi perscrutationum propriae, sibi e sublimi captaverunt, de eodem jactu nosmet, etsi serius, certiores fecissent.

Postquam, tertio peracto die, lunarem orbitam inierat eamque circum aliquantum versata erat, machina «Zond 5» Terram volatu repetiit, iterum exacto triduo, Indicum Oceanum attingens, ubi quaedam russica navis praesto fuit eidem sublevandae, quam in praestitutam stationem veheret. Nihil omnino nuntiorum fontes manant, ad quos quidem acta diurna plerumque haurire soleant, quid sibi investigandum sumpserit ista machina. Arbitrari ceterum liceat complures lunae imagines, lucis ope impressas, in Terram transmitti coeptas esse, varios ejus aspectus repraesentaturas; quas, pro breviori spatio ab orbe lunari interjecto, multo nitidiores, ut par sit, esse oportet, singillatim etiam ac magis distincte conspicienda loca praebere quam ceteras, quascumque et americani et russici cosmonautae transmiserint.

Ex notis sonoris, quas machinulae, apud vehiculum «Zond 5» instructae, identidem emittunt, colligi potest id praecipue consequendum: ut quaedam mutuo transmittendi ac recipiendi ratio perficiatur inter aetheriam naviculam et instrumenta in Terra constituta. Ne silentio quidem praeteriri decet, quin consilium praecipue captum hoc fuerit: machinamenta prius probandi, quomodo se ipsa gerant; mox auctores, qua ratione eadem tractent, ne in Terram reditus in discrimen deducatur, neu, quod plurimi interest, vitae periculum cosmonautis accidat.

Quomodo, ceterum, incolumis efficiatur reditus? Ex ipsa navicula «Zond 5» responsum tandem venit; nulla enim ex antecedentibus, quae quattuor explentur, machinis quaestionem solvere adhuc valuerat: «Zond 1», a. MCMLXIV, temptavit si forte stellam «Venerem» lambere posset, quod tamen infectum evasit; «Zond 2», a. MCMLXV, idem de «Marte» temptavit itemque nihil est consecuta; «Zond 3», eodem a. MCMLXV, feliciter quendam exitum obtinuit, cum complures nondum impressae, ac proinde ignotae, cujuspian lunaris plagae imagines, in Terram transmisisset; «Zond 4», a. MCMLXVIII, octavus est mensis, ex quo nullum sui indicium, quorsum nemque evaserit, jam dedit. Eo majus profecto onus, quo difficilius munus «Zond 5», jam nuper jactum, feliciter demum explevit. Nam, quoties quidem satelles, hac in re —ad nos quae attinet— «Zond 5», longiore orbita lunam circumactus fuerit, ejus reditum in angustiis effici oportet, et ocius quidem quam quorumlibet satellitum, qui in orbem agantur lineamve rectam, non equidem oblongiorem, pervolent. Id ipsum russica speculatrix machina confecit.

JANUARIUS MARINELLI, Professor  
Via Salvator Rosa, 241  
NEAPOLI (Napoli) in Italia



## QUAEDAM DE SANCTO FRANCISCO

Vita divi Francisci Asisinatis, si annos quibus ille inter homines versatus est uno velut obtutu consideramus, haud longo temporis spatio continetur (is enim ortus est Asisii, in parva Umbriae urbe, anno a p. V. 1182 atque, cum parum firmo corporis habitu praeditus esset, diem supremum obiit anno 1226, scilicet biennio postquam in monte qui Italice «LA VERNA» appellatur stigmata Passionis Domini Nostri Jesu Christi acceperat); sed quae ille confecit pro hominum societate tam multa tamque praeclara sunt ut dignissime comparari possint cum maximis facinoribus quae viri rerum militarium periti aut ingenii virtute exornati longiore vitae aevo executi sunt.

Itaque, ut alios omittam qui Franciscum aptis laudibus praedicaverunt, libenter commemorabo Caelestinum Argenta, virum piissimum eundemque doctissimum praeceptorem; is enim, dum antiquiores et recentiores homines percenset qui integra vita, moribus probissimis, ingenii vi firma fundamenta posuerunt vitae sancte degendae, Franciscum nobis proponit tamquam «speculum rerum quibus nos egemus»<sup>1</sup>. Nam hic humillima quaeque semper dilexit, ne-

---

1. Conferatur Caelestinus Argenta COSTRUTTORI D'EUROPA Augustae Taurinorum, apud Borlam Editorem 1965 p. 103 sqq.

que modo inter homines, sed etiam inter animalia mansuetudinis innocentiaeque exempla quaesivit; sic olim, ut traditur<sup>2</sup>, turtures quos adulescens ut venderet ad forum ferebat in sinum accepit eosque dulciter allocutus, «Cur, inquit, sororculae meae, turturillae simplices, innocentes, castae, vos capi sinitis? Nunc ego vos a morte liberare cupio vobisque nidum comparare ut fecundae sitis et multiplicemini juxta praecepta Dei qui vos genuit».

Quid suavius hac simplicitate excogitari potest? Alias ille ad mansuetudinem reduxit lupum Iguvinum: haec enim fera immanis non solum animalia, sed etiam homines vorabat, adeo ut nemo auderet ex urbis moeniis exire; sed sanctus vir de quo loquimur, fesus Dei auxilio, ad lupum accessit eumque familiariter allocutus est, vetans ne cui damnum afferret. Quid tum? Belua, feritate exuta, agni instar ad Franciscum appropinquavit, ad ejus pedes procubuit atque dexterum crus in ejus manu posuit, tamquam promittere vellet se bonam futuram esse. Cum autem duobus post annis lupus, senio confectus, mortuus est, cives valde doluerunt; nam cum antea videbant eum per vias urbis placidum ambulare, melius ad mentem revocabant Francisci virtutem et miram sanctitatem. Nonne Petrus Jordanus recte judicavit, cum hanc de lupo narrationem laudibus extulerit propter simplicitatem ac dulcedinem quae in legentium animos suaviter irrepit?

Sanctus Franciscus primus, velut divino afflatu permotus, inter alia permulta quae enumerare longum est, Summo Pontifice Honorio III permittente, praesepis exemplum prodidit<sup>3</sup>, ut ante nostros oculos animans quaedam tabula proponeretur Sacrae quae dicitur Familiae atque praestantissimi honoris quo ab omnibus hominibus affectus est Divinus Puer in humili casa genitus. Quae suavis con-

---

2. Vide opus incerti auctoris quod I FIORETTI DI S. FRANCESCO inscribitur.

3. Confer, sis, librum Arduini Terzi qui nuncupatur NELLA SELVA DI GRECCIO NACQUE IL PRESEPIO PLASTICO Romae, Schola Typographica Salesiana 1961 p. 13 sqq.

suetudo usque ad nostrum aevum permansit; nam in familiis ad rectos mores informatis, recurrente die natali Domini Nostri Jesu Christi, ut animi honesto gaudio impleantur, exstruitur illud prae-sepe quod et pueri et homines aetate proveci, nescio qua dulcedine capti, diutius admirantur.

Innumerabiles autem artifices, a Iotto usque ad recentiores, pulcherrimas tabulas finxerunt in quibus affabre oculis nostris subiciuntur vitae vicissitudines divi Francisci et mirabilia fasta propter quae hic summus vir semper in deliciis fuit et apud populum et apud homines doctrina excultos. Quod ad poetas attinet, Dantes in tertia carminis sui parte, «quae decoratur titulo Paradisi», dum splendidas laudes exsequitur hujus Sancti viri, qui ob eximias animi virtutes et sincerissimam fidem dignus visus est quem posteri «Patronum Itolorum» appellarent, non solum excellentissimum artis specimen praebuit, sed etiam homines ad illam simplicem vitae rationes revocare conatus est qua maxime catholica fides distinguitur.

Nam ipse Jesus Christus, cum inter homines moraretur ad afferendam nobis salutem ac permultos videret insolenti superbia inflatos aut publicorum honorum nimis cupidos aut reprehendendis voluptatibus indulgentes, vel etiam conspiceret reges ac tyrannos qui vim et sophismata exercerent, et latrones et rerum civilium perturbatores<sup>4</sup>, suo exemplo ostendit eos imprimis iter ad aeternum gaudium sibi aperire qui paupertatem, id est humilitatem modestiamque, fortiter ac libenter amplecterentur in eaque virtute intellegent contineri «ignotas divitias et bonum verax» de quibus Dantes locutus est<sup>5</sup>. Divus Franciscus ex hac vita excessit, ut apud omnes constat, in illa «aedicula Transitus» quam hodie, dum in Umbria

---

4. Vide quae de his argumentis scripsit Nicolaus Tommaseus POESIE E PROSE SCELTE E COMMENTATE a cura di Raffaele Ciampini, Augustae Taurinorum, Soc. Ed. Intern. 1942 p. 242 sqq.

5. Confer Dante *Par.* 11, 82. Ejusdem virtutis Dantes laudes persequitur alibi, sicut in *Purg.* 20, 21 sqq., ubi commemoratur paupertas Virginis Mariae et Fabricii.

peregrinamur, summa cum veneratione adimus. Ejus vero corpus e vico qui Sancta Maria Angelorum appellatur Asisium translatum est; anima autem, cum pusillam se fecisset, sicut scripsit Dantes, magna facta est summaque gloria coram Deo fulget. Etiam hodie, cum visimus urbem ubi Franciscus ortus est, ubi divitias sua sponte abjecit, ubi adjuvante Sancta Clara doctrinam suam humiliter vulgavit, animus noster, tamquam adipiscatur illam despicientiam rerum humanarum quae etiam a philosophis commendatur, quodammodo sublime fertur et sacro gaudio impletur.

VICTORIUS D'AGOSTINO

Commentariorum qui «RIVISTA DI STUDI CLASSICI»  
inscribuntur, Moderator

Via S. Pío V, 16

Augustae Taurinorum (Torino) in Italia

# C A R M I N A

## IN PRAESIDIS KENNEDY MEMORIAM

Quis tristis aures nuntius omnium  
Repente laedit? Pectora quis dolor  
Diffindit atrox ensis instar  
Commovet et gemitus acutos?

Pro! Glandis ictu mortiferae gravi  
Vindex amatus flebilis occidit  
Et purpura tinctus cruoris  
Conjugis in gremium recumbit.

Arcere mortem non medicus valet  
Fletus nec ullus. De medio sui  
Detruditur florentis aevi  
Consilio Superum latenti.

Torpetque stratus, qui fuit hostium  
Munita turris bella minantium  
Regnique cervix et labantis  
Praesidium statioque mundi.

Nec cor benignum palpitat amplius,  
Etsi latebat fronte sub aspera  
Fugitque risus, quo vel hostis  
Intrepidus cecidit sereno.

Ergo silet vox sub tumulo nigro  
Tutata firme debilium bona  
Palletque frons tranquilla, quondam  
Sollicitis perarata curis.

Formosa conjunx splendida copiis,  
At pressa luctu quam stetit ardua!  
Flevere multi, temperavit  
Ipsa tamen lacrimae tumentis.

Quamvis peremptus non obiit tamen  
 Totus, sed inter nos alio modo  
     Vivit velut praefixa meta  
     Impavido superanda cursu.

Super sepulcro vivida fax flagrat  
 Et voce viva praedicat omnibus,  
     Quod praeses incoeptum reliquit,  
     Et celerent opus et coronent.

Jam pace dormi, praeses amabilis,  
 Turbare nemo jam poterit tuam.  
     Dum stabit orbis, diligeris,  
     Digne pater patriae vocari.

#### STATIO SUPREMA

Me tenet Manum statio suprema,  
 Quae procul magna requiescit urbe.  
 Crux crucem tangit tumulique fulgent  
     Flore recenti.

Hic tacet clamor silet et tumultus.  
 Hic abest mordax et acerba cura.  
 Hic humi tandem jacet et superbi  
     Culmen honoris.

Omne discrimen tumuli recondunt.  
 Lazarum juxta cubat iste dives,  
 Cumque lasciva meretrice dormit  
     Virgo pudica.

Quid juvat regem tenuisse sceptrum?  
 Quidve gemmato cubuisse lecto?  
 Se cibus lautis onerasse? Mansit  
     Nil nisi pulvis.

Pauperem ditat lacerata vestis.  
 Virginem casti decorantque mores.  
 Quae diu pressit male crux parentem,  
     Hic micat auro.

Dissipat nubes subito coorta  
Luna nocturnas tremulaque Manes  
Luce conspergit. Levis aura plorat  
Flore recenti.

## MAGNI NOMINIS UMBRA

Venas in imas inde ab origine  
Natura nostras immodicam sitim  
Et laudis et famae nitentis  
Indidit et studiosa nutrit.

Si pendis aequa lance, videbitur  
Nil esse nomen nil quoque gloriam et  
Famam nisi plausus inanes  
Et paleas vacuas aristis.

Captare laudes terrigenae tamen  
Ardent caducas et titulos vagos  
Et protrahunt lassi labores  
Impavidique petunt pericla.

Praestare fama cum reliquos vident,  
Maerore livent, protinus aemulos  
Florentiores dente rodunt  
Labe nigra maculantque famam.

Lites quot acres, jurgia quot mala  
Rixasque acerbis quotque caluminas  
Laudum sitis flagrans movebat  
Nominis et pereuntis ardor.

Ergo, sodalis, pelle cupidinem  
Intemperatam, sed modicam tene.  
Sic pectus aequum cumque servas  
Et scopulos fugies latentes.

## N E M U S

Stat nemus vernum tacita quiete,  
Vix movet pinus viridans cacumen.  
Leniter fontis pede currit unda.  
Cuncta quiescunt.

Sed procul rauci resonant tumultus.  
Milites vadunt crepitante passu.  
Litigant turbae vomitatque probra  
Ebrius ore.

O nemus vernans, ubi nulla rixa  
Nec labor durus neque cura rodens.  
Da frui fesso gelidis sub umbris  
Munere pascis.

## T E V I D E B O

Quando mihi clanget supremi temporis hora,  
Qua mea, quae stringunt, vincula dura cadent,  
Corpore cum liber mortali tollar in altum,  
Libertate fruam deliciisque novis,  
Tum sine praetento velamine cuncta creata  
Teque revelata conspiciam facie.

## V E R R I D E T

Laetare, tellus, libera frigidis  
Tandem catenis, te quibus algidus  
Rex ille strinxit, cui senilis  
Barba stetit nitidis pruinis.

Aurae tepescunt. Sol micat aureus  
Jugisque nudis dat sua basia  
Agros super molles aratro  
Ver volitat tepidisque pennis.



De colle lento fons vitreus salit  
 Obtusa saltu murmura suscitans,  
     Floresque vernos vix salutans  
     Luxuriatur aquis per arva.

Fagique ramos prima tegit coma  
 Salixque vernat fronde smaragdina,  
     Fusae per herbas jam reudent  
     Caeruleae violae colore.

Fringilla fortem provocat eclogam.  
 Alauda cantu pendet in aethere.  
     Bruma soporatum susurrat  
     Agmen apis per aprica prata.

Ludit puellus gramine florido  
 Vernantque malae, labra rubent rosis.  
     Nigrum senex conclave linquens  
     Aere jam fruitur tepenti.

Depressa longo mens mea frigore  
 Nutrita vernis deliciis tremit.  
     O dulce Ver, vernans voluptas!  
     Ver roseum mihi cumque ride!

### JACTANTIA VANA

Fissus est truncus Jovis igne tactus,  
 Attamen vivit speciosa quercus.  
 Vere frondescit generatque glandes  
     Tempore fixo.

Heu nimis distant homines ab illa!  
 Prosperis rebus faciem sublimi  
 Elevant Soli neque posse frangi  
     Turbine credunt.

Ast ubi saevo quatiuntur Austro  
 Et Jovis celso feriuntur igne,  
 Triste prostrati sua colla nigro  
     Pulvere condunt.

## F O N S

Nites ocellis lucidis et ore candes limpido,  
Argenteae manant aquae dulcem canentes eclogam.

Bibit viator te vagus siccis labellis frigidum  
Et rusticus flagrans siti, venator et saevus canis.

Urbanus elatus rudi fastigio te respuit,  
Liquore Bacchi fervido gaudet repleti guttura.

Ad te revertar, limpide fons, cum labores improbi  
Me strinxerint. Tum pocula viventis undae porriges.

## MIRUS CONCENTUS

Clangor ex undis tremulisque juncis  
Turbidi stagni prope me fluentis  
Occinens rauce ferit insolenter  
Tympana nostra.

Incipit cantum resonante voce  
Rana nocturnum quasi dux supremus.  
Turba respondet pariterque clamat  
"Quak" super undas.

Denuo "quak quak" boat ore pleno  
Dux, suum "quak quak" reboat caterva  
Fortius. "Quak quak" sine fine clangit  
Cantus in aures.

Lege praeclara variat Creator  
Dona. Nam rauce strepit usque passer,  
Cum sua noctem Philomela suavi  
Excitet oda.

Dives argento renitet Selene.  
Terra jam dormit placido sopore.  
Sola ranarum per inane noctis  
Ecloga clangit.

## SIC TRANSIT GLORIA MUNDI

Ut fulmen alto multifidum polo  
 Caeli cadendo lumine candido  
     Caliginosum mergit orbem  
 In nihilum reciditque versum:

Sic et sodalis culmine de sui  
 Florentis aevi deciderat cito  
     Et, quae coruscabat superbe  
 Gloria, jam perit et triumphus.

Pallens cadaver marmore sub nigro  
 Cubat sepultum. Quid manet amplius  
     Flaventis auri corrogati?  
 Nil nisi crux tumulo levata.

Vitae sub ortu subdola mors latet,  
 Infesta nobis. Serius ocus  
     Praedam vorat versura tandem  
 In cinerem putridamque larvam.

## FLORES VANI

Aestas transierat, fructus decerpserat uber  
 Autumnus dulces, horrea plena tument.

Stant binae pomi deserti in margine campi  
 Dicunturque diu in hoc viguisse loco.

Cortex scissus hiat, rami sine robore languent,  
 Ludibrio venti praedaeque flantis atrox.

Dum subeo propius, binas florescere cerno  
 Hic illic fido vix oculisque meis.

O flores! Sero reserant se vestra labella,  
 Nam Boreas vellet haec nebulaeque tegent.

Relliquias calicis nitidi fera bruma gelabit,  
Fructus ferre vetat ordinis imperium.

Defixus maerore steti sortesque revolvi  
Tristes, quas dederat cernere vita mihi.

Oh quot sunt juvenes, qui vitae tempore verno  
Neglexere pigri germina ferre sua.

Transit Ver sine flore suo sine fructibus aestas  
Nec quae transierat vita redire potest.

NICOLAUS MANGEOT, S. J.  
Haus Sentmaring  
44 Münster (Westf.)  
Sentmaringer Weg, 55-57

# HORIS SUBSICIVIS

## QUANTI MOMENTI FUIT IN CURSU MORTALI JESU NAZARENI DOMINI NOSTRI RES ILLA ROMANA

Multi coevi nostri dicunt Ecclesiam catholicam primis saeculis graeco sermone usam esse, deinde temporibus cedendo sermonem latinum usurpasse. Inde oportet, ut putant, ad «hodiernationem» faciendam linguam latinam abjicere ut locus ejus vernaculis linguis detur.

Ad haec, praeter auctoritatem ipsius Joannis Papae XXIII, qui Constitutionem «Veterum Sapientia» promulgavit, plura videntur respondenda.

Primum, usum linguae latinae sermonem graecum minime expulisse, ut patet in «Kyrie, eleison» aut «Agius, o Theos» atque in tot vocabulis ecclesiasticis ex graeco fonte sumptis ut Christus, Ecclesia, Apostolus, Evangelium, cet. Retineant ergo fautores novitatis non solum loca latina frequentioris usus, ut «Dominus vobiscum», sed etiam vocabula vernacula quae latinitati consonant, ut «grâce» pro «gratia» aut «consubstantiel» pro «consubstantialis» cet.

Deinde ut, aliis argumentis praetermissis, titulus hujus scripti explicetur, respondere possumus JESUM Romam Urbem ejusque imperium fore gentium centrum Ecclesiae suae, etsi non certis verbis designavit, tamen actibus suis ostendisse totaque conversatione. Non enim casu, sed Dei Patris providentia, Incarnatio facta est eo ipso tempore quo Romani omnia litora Maris Interni pacifice occupabant. Qua dominatione Judaei scandalizati variis in partibus se debant. ZELOTES armis regnum recuperare satagebant. PHARISAEI mores Mosaicos coram professi animos civium suorum sustentare studebant, ne ullo modo se subditos esse agnoscerent. SADDUCAEI, qua prudentia Romani summo sacerdotio honores non negarent nonnullos animadvertentes, viam conciliationis curabant ne omnem libertatem genti suae tolleretur. HERODIANI in Herode, tetrarcha Galilaeae, dignitatem regiam, etsi non erat Davidica, colebant. Qua via et ratione a Romanis expectabant restaurationem regni integri. PUBLICANI, utilitati suae allecti, inter cives suos Ro-

mana tributa colligebant, quos ceteri Judaei inter peccatores computabant, cum Joannes dicebat «Nihil amplius quam quod constitutum est, vobis faciatis».

Inquire nunc quid doctrina Regni Caelestis expectationi judaicae non satisfecerit. Nonne, inter alia, quia JESUS salutem non solis Judaeis promittebat, sed omnibus gentibus atque ex omnibus gentibus Romanos nolebat expelli nec dominationem eorum pacemque armatam ullo modo increpabat? Sed aliud mirabile proponendum est. JESUS, qui propter tolerantiam quam erga Romanos habebat, in odium civium suorum venit, a praeside tamen Romano damnatus est ut, si modo nobis liceat consilia divina investigare, intercedente potestate gentili, non a solis Judaeis occideretur, sed sub specie romana etiam ab omnibus gentibus. De quibus omnibus occisoribus, sodalibus et participantibus hanc orationem ad Deum habuit «Pater, dimitte illis, quia nesciunt quod faciunt». Fuit ergo Pontius PILATUS non solum Imperatoris delegatus, sed quodammodo totius Gentilitatis, cujus nomen symbolo fidei jure insertum est.

Qui ergo hodie usum sermonis latini temere impugnant aut ingenium juris romani proprium omnemque cultus vitae romanae hereditatem, timeant ne quid evangelicum tollere frustra conentur, scilicet qui inter promissiones Judaeis jurejuratas et misericordiam ceteris gentibus impertitam constitutus est divina Providentia nexus romanus.

## GALLIA SEU FRANCIA

De patria mea Francogallica, tibi, puer alienigena, varia dicam, i. e. geographica et historica. Haec fortasse jam nosti, sed, ni fallor, te juvabit quae vocibus vernaculis didicisti, litteris latinis legere.

*Geographia.* Quae terra a Romanis Gallia vocata est, hodie a plerisque Francia («France»), in Europa Occidentali ita sita est ut, sicut hexagonus, fines ejus sex lineis rectis adumbrari possint.

A meridie occidentali, Pyrenaei montes («Pyrénées») eam ab Hispania separant. Ad meridiem orientalem, Mare quod Romani Internum vel Nostrum appellabant, quod hodie Mediterraneum nuncupatur, incolas ad mercaturam nauticam vocat. Ab oriente, Alpes («Alpes») ab Italia, Jura mons ab Helvetia eam separant et parva

pars Rheni («Rhin») fluminis a Germania. In regione aquilonensi et orientali, nulli sunt lines naturales, sed fines ab hominibus fixi, qui Germaniam et Belgium contingunt. Ab aquilone occidentali, Manica («Manche») mari alluitur trans quod insula illa maxuma stat quam Romani Britanniam, hodierni Angliam vocant. Denique a plaga occidentali, sol sero videri potest in Oceanum mergi.

Terrae francogallicae maxima distantiarum omnium patet: ab Aquilone ad Meridiem, mille chiliometris ab Occidente ad Orientem, mille chiliometris.

Superficies autem ejus aequaretur rectangulo longitudine mille chiliometrorum, latitudine quingenta ch. m.: i. e. quingenta milia ch. m. quadratorum.

In qua incolunt homines (scilicet viri ac mulieres, senes et pueri) circiter quinquaginta milia milium. Noli tamen credere in unoquoque chilometro quedrato inveniri centum homines. Etenim sicut in omnibus terris, magnae sunt solitudines, parvae densitates. Immo qui ruri beatos dies agebant, paucis quidem aere, multis autem pomis et frugibus, invidia ac desiderio incitati in urbes affluunt, in quibus —massa sibimetipsi ignota— vitam technicam patiuntur.

Ecce urbes notissimae: ad flumen Sequanam («Seine»), Lutetia, qui hodie Parisii («Paris») vocantur ex nomine priscorum incolarum; ad flumen Rhodanum («Rhône»), Lugdunum («Lyon»). Nota caput Angliae (anglice «London») etiam Lugdunum vocari; ad mare Mediterraneum, Massilia («Marseille»), portus florentissimus. In Flandria, («Flandre») provincia septentrionali, Insulae («Lille» quod olim scribebatur «l'Isle»); ad oram fluminis Ligeris («Loire»), Namnetae («Nantes»); ad oram fl. Garumnae (Garonne»), Burdigala («Bordeaux»).

Quas urbes quicumque possunt diebus festis gregatim aufugiunt ut per vias multitudine vehiculorum haud raro obstructas rura petant aut montes vel litora. Nonnulli vel ultra fines patrios sitim suam omnia videndi frustra exstinguunt. Ego nullam terram pulchriorem duco quam patriam in qua natus sum: varietas frugum variis caelis respondet: in Normannia («Normandie»), herba vaccas alit, circa Parisios, frumenta sole moderato coquuntur, prope Avernum («Auvergne»), arbores frugiferae coluntur, in Provincia («Provence»), olivae, multis in locis, vinea. Servatae sunt quoque passim silvulae, quibus recordari possumus priscae Galliae majorumque nostrorum Celtarum.

*Annales.* Celtas vivebant nec scribebant. Quos Graeci Galatas, Latini Gallos vocabant. E quibus eruditi a mercatoribus hellenicis literas graecas didicerunt.

Romani prius litus Maris Interni occupaverunt. Deinde, Julio Caesare duce, omnes Gallos transalpinos usque ad Belgas pacaverunt. Tunc coloni Romani, terris acceptis, ita cum Gallis paulatim mixti sunt ut plebs saeculi tertii et quarti Gallo-romani vocentur. Sic lingua francogallica hodierna dici potest mixtio quaedam sonorum celtorum, syntaxeos graecae et vocabularii litteraturaeque romanae.

Barbaris saeculo V fines imperii invadentibus, gens Francorum, Clodovaeo duce, praestitit. Quae gens atque rex, Clotilda uxore christiana heroice suadente, ad baptismum accesserunt, prae ceteris barbaris ab haeresi ariana immunes. Hinc illud verbum «Natio Franca, primogenita Ecclesiae» et alterum «Gesta Dei per Francos». Qui vero nolebant, ut Gallo-romani, aut agros colere, aut artes exercere aut litteris vacare, sed in solo venatu et gladio occupari, ceteros gladio suo protegebant. Nec tamen pacifice regnabant, sed mutuis dissensionibus atque interdum homicidiis potestatem paulatim perdidit.

Saeculo VIII, Pipinius, praefectus regiae vel, ut aiebant, major palatii, regnum arripuit, Sede Apostolica approbante. Cujus filius, Carolus Magnus («Charlemagne»), Europa Occidentali magna ex parte subdita linguaque latina ac fide catholica undique diffusa, Sanctum Imperium Romano-germanicum instituit. Quem Germanici et Francogalli suum esse certatim vindicant.

At potestas, lege hereditaria inter filios divisa, post paucas generationes in maximam confusionem dilapsa est. Quicumque Francus castellum habitabat, milites armabat et Dux vel Comes vel Baro vel Senior vocatus, justitiam suo jure exercebat. Popellus natione Gallo-romanus, sive in urbibus, sive in agris, jam non poterat quiete operari. Tunc ipsi episcopi abbatesque monachorum personam Senioris gesserunt ad plebem protegendam et ad nepotes Francorum iterum foederandos. Inter quos Comes Parisiorum incoepit praestare. Etenim in hac familia, lege Salica renovata, potestatem solo primogenito masculo tradebatur. Sic Hugo Capetius, saeculo X, titulum regium, episcopis nonnullis faventibus, obtinuit. Cujus successores, inter res secundas et adversas, maxima constantia studuerunt «pratum, ut aiebant, suum quadratum rotundare».

In hac dynastia, saeculo XIII, optime regnavit Sanctus Ludovicus IX («Louis»). Jura christianorum et honorem sepulcri Dominici, ut adversus Muslimos vindicaret, bellum sub vexillo crucis bis suscepit. Hoc in tempore, Ecclesia, Magistra totius veritatis, per Europam Universitates instituit et auxit, ut Parisiis in Gallia, Boloniae in Italia, Salmanticae in Hispania, Oxoniae in Anglia, Treviris in Germania. In quibus juvenes variarum nationum et linguarum



affluebant et miscebantur. Tunc iterum viguit sermo latinus. Nam omnia latine tradebantur, qua lingua omnes concordabant.

Saeculo XV, cum major pars Franciae in ditione regis Anglici erat, Joanna d'Arc («Jeanne d'Arc»), puella a Sancto Michaelae suscitata, regem Francum adhortata est, ducatum belli impetravit, victorias inopinate obtinuit. Mox vero ab hostibus capta, magiae et haereseos rea, igne addicta est et inter flammam Jesum invocando animum reddidit. Cujus fama sanctitatis, miles Anglicus permotus, tandem intellexit Deum omnipotentem in sua providentia nolle unum regnare in utroque litore Manicae.

Saeculo XVII, Ludovicus XIV gloriam regiam ad summum vexit nomenque Franciae per orbem terrarum diffudit. Lingua Franco-gallica, in fontibus suis latinis renovata, ita claruit ut saeculo sequenti apud omnes eruditos nota sit aequae ac latina. Ille tamen, bellis gravioribus, sumptibus immensis, superbia sua ac tyrannide semina futurae eversionis praestitit.

Illa eversio francogallica («Révolution Française»), anno 1789 incoepit LIBERTATEM, AEQUALITATEM, FRATERNITATEM declaravit atque paulatim usque ad extremas terras diffudit. In quo nomine, factae sunt ruinae permultae caedesque maximae ne ullum remaneret vestigium priscae regiminis. Cum plebs tot mortibus lassaretur, dux quidam, Napoleo Bonaparte potestatem arripuit et Imperator Francogallorum factus, vexillum francogallium bellis in annos gravioribus gloriose vexit (ab an. 1804 ad an. 1814). Tandem victus, in exilio miserime mortuus est.

Ab hac eversione usque ad nostram aetatem Francia diversa regimina experta est. Interea trina bella germanica, primum anno 1870, deinde annis 1914 - 1918, tertio annis 1939 - 1944. In his duobus, multi populi signa commiserunt. Nunc autem Francia, ruinis recentioribus liberata, in Europae Occidentalis foederatione et per universum mundum viam sibi propriam quaerit ut omnibus prosit.

#### «ET VERBUM CARO FACTUM EST»

Juveni cuidam christiano Dionysius LEPOUTRE, parochus Duriacus, salutem.

De VIRGINALI CONCEPTIONE colloquia quae recenter habuimus meditationem meam excitarunt atque quibus problematibus ju-

ventus vel christiana labore, edocuerunt. Nec potui extemplo respondere.

Mihi enim dicebas: Spiritum in uterum Virginis semen quoddam masculinum attulisse, divinitus formatum. Nam omnem prolem humanam ex duabus partibus esse constitutam, scilicet ex semine masculino et ovulo feminino.

Ego contra profiteor: Spiritum Sanctum nihil carnale attulisse, sed potentiam genitalem Virginis ita suscitasse ut Virgo Maria carnem praeberet Filio jam praeexistenti.

Ad haec discutienda, duplex est via: quarum altera est segura et lucida, sed ad rem tuam non pertinet, altera in rationem scientiae hodiernae descendit, sed cum periculo errandi. Scientia enim haec genetica, non potentiam generandi considerat, sed «spermatozoïden» et «ovulum», rursus non has easdem particulas, sed in eis, «nodum» et in ipso nodo, «chromosomata», in chromatibus denique, «genea». Cui paulatim latet quomodo haec infimae particulae a reliqua cellula contineantur, servantur et modificentur, immo a toto homine ex quo procedunt ordinantur.

Majores autem nostri totum hominem considerabant, i. e. ad generationem prolis quod attinet (nec non et ad educationem) patrem et matrem, non solum in corpore, sed etiam in affectibus. Hoc enim omnino verum persuasum habebant quod in homine corporalia spiritualibus concordant et partes in toto ordinantur. Sic intellexerunt; parentes esse prolis suae procreatores, i. e. corpus vivum ex eis tale constitui quod post quandam evolutionem et transformationem a Deo impetraret animam spiritualem quae postea corpus moderaretur atque sustineret. Hinc, etsi parentes animam spiritualem non producant, eam tamen generatione designant et in personam singularem praefinitione instituunt. Non sic de Virgine Maria et de Verbo Dei. Nam Maria personam jam omnino signatam genuit et anima beata Christi a prima constitutione corporis sui est creata.

Inquires fortasse quo in actu aut quali in beatitudine creata sit. Ubi enim anima spiritualis existit, oportet quoddam intellegat et velit. Nam nullum «ens» potest ab operatione sua principali cessare. At in primo foetu, in quo cerebrum nondum formatur neque tactus pellis sensitivae, nullum est phantasma nullaque sedes abstractionis intellectualis.

Respondendum est animam humanam Verbi a primo instanti Deum, Patrem suum, videre facie ad faciem, non ex merito, sed ex hereditate sibi connaturali. Qui actus simplicis intuitus nullis phantasmatis cerebro praebitis indiget. Hinc ut foetus humani incipiunt esse quoddam vegetale, deinde procedunt ex ordinatione naturali ad quoddam sensibile et mobile, tandem, praecordiis et cere-

bro jam satis formato, naturaliter mutantur, anima spiritali a Deo infusa, in hominem, non sic de Incarnatione Verbi. Nam, ut infra dicemus, quod vegetale Virgo genuit, in se non substitisset neque ad ulteriora processisset nisi in anima statim perfecta acceptum esset.

Rursus majores nostris intellexerunt aliud esse in generatione officium paternum, aliud officium maternum. Patri auctoritas, matri aequalitas. A patre amor uxoris, a matre oboedientia viri. Ita ut, licet agnoscebant in matre potentiam genitalem ejusdem naturae esse atque in patre, tamen faciebant a patre produci quodammodo formam, a matre materiam. Quae cum scientia hodierna concordant. Nam hodierni sapientes dicunt in spermate masculo nodum esse praecipuum, in ovulo, reliquam cellulam, quod est cytoplasma. Item ex spermate oriri utrum proles futura sit puer an pupilla.

Sed ut rem nostram pressius penetremus, sciendum est ad foetum constituendum patrem dimidium hereditatis suae genitalis tradere, item matrem dimidium suae. Quae dimidiationes casu fiunt, ita tamen ut ovula ad utrumque sexum ordinentur, spermata autem, alia ad sexum virilem, alia ad sexum muliebrem. Cujus signum est quod omnis foetus humanus incipit utrumque sexum in se formare, ac postea alterutrum in detrimento alterius ampliare, donec ad maturitatem unius perveniat. Quae ita fiunt ut atrophia organorum muliebrum major sit in viro quam virilium in muliere. Sic in omni homine, sive mas est sive femina, hereditas utriusque sexus invenitur totaque humana natura. Rursus sciendum est ovaria muliebria ovula producere, non solum ex rhythmo dierum, sed etiam quandoque ex amore et diuturna copulatione.

Quae cum ita sint, ut obicibus hypothesum scientificarum per hypotesin respondeam, putemus Virginem Mariam ita a Spiritu Sancto in desiderium Filii divini generandi esse anima et corpore raptam ut duo simul ovula produceret, quae etsi non poterant per se coadunari, tamen ab anima Christi tunc creata in unum ordinata sunt. Hoc quoddam vegetale, etsi totam carnem humanam in se continebat totamque hereditatem geneticam matris suae, tamen non poterat per se dirigi, sicut diriguntur ceteri foetus humani, sed ab ipsa anima in qua consistebat dirigebatur usque ad virum perfectum. Hinc anima beata Christi condiciones corporis numquam secuta est, sed semper praecessit, secundum illud Apostoli (1 Cor. XV-45): «Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem».

Haec tibi scribebam, non ut secundum mentem scientificam hodiernam de particulis materialibus disputes, sed ut, objectionibus scientiae quam celerrime remotis, ad viam securam et lucidam re-

vertaris et ipsam Mariam Virginem ejusque Filium contempleris actaque et vitam eorundem recolas. Qua ex assidua meditatione profundius in dies intelleges quam verum sit quod pueri christiani statim accipiunt: VIRGINEM MATREM DEI FILIUM GENUISSE.

DIONYSIUS LEPOUTRE (curé de DURY)  
Duriaci prope Ambianum ad Suminam in Gallia  
80. AMIENS (France)

# RISUM TENEATIS

ASTER SAGITTARIUS CLARISSIMUS

Cum regi Philippo sponte operam suam pollicitus esset quidam Aster, sagittarius celeberrimus, qui revera jactabatur quod tantam dexteritatem arcui protendendo haberet ut passerem velocissimum in aëre transfoderet, rex quidem respondit se tunc ejus sollertia usurum cum hirundinibus bellum indiceret.

Quamquam nullum verbum proelior addidit, sic tamen eum ludibrium perculit, ut in urbem a rege obsessam includeretur. A moenibus autem sagittam in regem ejecit in qua «Ad dexterum Philippi oculum», scriptum erat.

Constat enim sagittarium de sua dexteritate in sagittis projiciendis minime omnino exaggerasse, cum sagitta scopum attigerit.

Tunc Philippus in ipsa quidem sagitta hanc inscriptionem nimis metuendam exaravit: «Si rex oppido erit potitus, Aster e laqueo suspendetur». Atque postea Philippus promissa fideliter solvit.

RUDOLPHUS BELLOMO  
Cordubae (in Argentina)

NOLITE FATUORUM CONSILIA AUDIRE

Plycletus, celeberrimus sculptor graecus, in duas statuas simillimas fingendas incumbibat, coram omnibus alteram, alteram autem domi faciens.

Cum vero hanc conficeret, proprium ingenium tantum consultabat; cum autem alteram, omnium sententiis aures praebebat et juxta eorum consilia statuam insculpebat. Duobus tandem operibus confectis, alteram apud alteram statuam exposuit. Magnopere profecto primam exprobant, secunda autem, quae revera proprio ingenio erat producta, ab omnibus laudabatur.

—Viri Athenienses—inquit— statua quam exprobatis, vestra est, illa autem, quam laudibus effertis, mea quidem est.

FRANCISCUS CIPOLLA  
Cordubae (in Argentina)

#### FACILLIMUM FACTU!

Duo pueri summa admiratione praestigiatores circensem conspiciunt, qui gladium arripit et in os capulo tenus immittit.

— Non intellego—inquit alter— quo modo totum gladium deglutire possit quin se ipse vulneret...

— Nihil mirum! Prius exsorbuit vaginam!

#### IN QUODAM CACERE AMERICAE SEPTENTRIONALI

Custos ingreditur in cellam cujusdam viri capti, satis famosi, cui dicit:

— Purga nonnihil cellam. Nam expectamus civitatis praefectum.

— Ita est?—inquit vinculis captus— Nonne eum tandem cepisti?

S. DELGADO

#### NIMIA MORA

Rosula in puellarum coetum maxima mora pervenit seque ut purgaret:

— Mihi, quaeso, inquit, ignoscite, nam adulescens, qui me subsequabatur, tardiore incedebat gradu.

#### RECTE SANANDI RATIO

Homo quidam corporis obesitate saginatus medicum consulit, qui sibi aliquod remedium ad pinguedinem levandam commendat.

Medicus ei lagoenam centum pastillos continentem porrigit.

— Quot pastillos sumere debeo?

— Nullos profecto! Ad usum intestinum non sunt! Sufficit ut pastillos per terram ter in die dispergas eosque colligas singillatim.

L. PÉREZ

#### PLAUSUS JURE MERITI

Concentu a quattuor symphoniacis pessime edito, audientium turma violistriae transeunti vehementer plaudunt.

— Domini mei;—inquit musicus— hosce plausus non mereor, nam in extrema acromatis parte ne violinam quidem tetigi.

— Idcirco tibi plaudimus.

#### JUSTUM DESIDERIUM

Domina rhaedam automatariam nu-

per emit atque eam accipiendam adit. Sed cum in eam jamjam sit ascensura, non nihil dubitans:

— Nonne quispiam —inquit— usque ad domum meam rhaedam ducere potest?

— Nonne domina ducendi licentiam habet?

— Ita, ita est. Sed mihi placet ut conjux meus rhaedam talem qualis est semel saltem conspiciat...

D. MOSAKA

### ITERATA PECUNIA

Mulier quaedam pretiosissima cunabula rotis instructa infanti suo iterata pecunia solvenda emerat.

Cum postrenam pecuniam solvit, eam interrogavit venditor:

— Quo modo valet puer tuus?

— Optimam habet valetudinem. Proxima hebdomade ducit uxorem.

### MIRA BEATITUDINIS FORMULA

Quidam molestissimus vir, qui cum Einstein diutissime erat collocutus, sapientem sua garrulitate afficiendo, antequam abiret:

— Tandem —inquit— magister, beatitudinis formulam mihi dicas.

Einstein obsequens scripsit:

«A» = «X» + «Y» + «Z» litterasque continuo explicavit:

«A» beatitudo, labor «X», «Y» pecunia est...

— Quid ergo «Z»?

— «Z» silentium est.

T. JOVEN

### AMENTIS INDICIA

Hominum insanorum curator custodem quendam publicum sistit in via.

— Cave, amabo. Quidam demens istac transire potest.

— Quenam habet indicia?

— Homo coma flava, oculis caeruleis, corpore macerrimo minimoque est. Tamen nonaginta chilogrammata pondo valet.

— Quo modo potest mecerrimus ac minimus homo eo pondo valere?

— Quidni? Nonne tibi dixi illum dementem esse?

### VALIDUM SANE ICTUM!

Duo amici multo mane venatum anates eunt. Ex illis unus multum coffeae sumpsit; alter vero continuo pocula coniaci potabat.

Expectationi vacant, cum subito ecce unus apparet anas. Qui multum coffeae potaverat scopletum displodit sed recte non collineat. Alter vero scopum attingit.

— Validum sane ictum! —dicit prior.

— Vah! Nullc meo merito! Cum adeo vicinus uterque sibi esset, duos anates simul uno ictu necessario collineare debebam!

C. LÓPEZ

### GRAVISSIMUM MOMENTUM

In dono quodam duodecim contabulationum machina scansoria inter duas constitit contabulationes hominem intus includens. Janitor, magnos clamores edens, sursum vocem attollit ad inclusi timorem sublevandum:

— Nihil tibi curae —inclamat— Cum scansorium non recte moveretur, jam rei peritum arcessivimus.

Responsum desuper demissum labitur desperanter:

— Plane intellego... ego sum!

J. ALONSO

### RARUM SALINUM

In cauponam ingressus quidam hospes famulam jussit salinum, quod salis nihil habebat, implere. Multum transiit tempus et famula tamen, quae salinum secum asportaverat, non redibat. Tandem hospes exspectando fesus famulam vocat atque:

— Quid —inquit— tantum temporis tibi opus est ut salinum impleas?

Cui famula hoc dedit responsum:

— Certe, domine mi, nescisne quot habeat foramina salinum quamque angusta sint?

### CHARTARUM LUSORiarUM INVENTOR

Cum Dmnus. Michael de Unamuno in manibus chartas lusorias haberet cum amicis quibuscum ludere quondam solebat, tum subito:

— Nihil, inquit, dubii est quin qui lusorias chartas invenit, homo omnium quisque sapientissimus fuerit.

Quem unus ex amicis interpellavit:

— Ecquid de eo a quo lectus inventus est?

Cui Dmnus. Michael respondit:

— Nihil amplius dicendum: idem erat homo!

R. NDONGO

### CALLIDUM RESPONSUM

Peregrinator americanus in tabernam rerum antiquarum mercatoris itali ingreditur.

— Duos velim, quaeso, scyphos Marci Aurelii Imperatoris.

Mercator imperturbato animo:

— Cum ansa, inquit, ad dextram an ad sinistram?

### PSITTACUS SAPIENTISSIMUS

Scotius quidam magno pretio emerat psittacum, qui praeter eximiam pulcritudinem, tanta pollebat praestantia ut scriptoris La Fontaine fabulas memoriter recitaret. Psittaci dominus cum amicis quondam sponsionem decem libellarum fecit psittacum tabulam La Fontaine recitaturum.

Amici in sponsionem conveniunt omnes. Avis autem, mirum in modum domino stupescente, ne rostrum qui-

dem coram aperire dignatur. Cum omnes domo abierunt, scotius furiose stomachatus psittacum objurgat:

— Me miserum, qui non solum pro animale tam vili tantum argentum impendi, verum etiam ab amicis praeterea derisus sum!

— Ne fueris insipiens! — exclamat psittacus— Cum proxima occasione viginti adversus te unum sponsionem amici tui facient, tum equidem omnes La Fontaine fabulas recitabo.

### PRUDENTIA OPUS EST

Homo quidam psychiatrum consulendum adit digito in auricula dextra immisso.

— Squalidiorem habeo muscam quae duos abhinc menses meatum auricularem occupavit, ubi tot gyros ducit ut paene amens efficiar.

— Quid tibi accidat animadverto. Ne tamen fueris anxius. Facillima curatione chirurgica expeditur via.

Psychiater aegrotum dormire cogit factaque curatione chirurgica clienti de somno revocato molestissimum confirmat animal e medio omnino sublatum esse.

Aliquot post diebus medicus in via obviam fit clienti, qui digitum in auricula dextra iterum fert immissum.

— Compertum, amice, habes me tibi muscam illam molestissimam extraxisse!

— Certo, certo scio, sed aurem meam apertam non ita patiar ut alia musca in eam ingrediatur. Prudentia opus est. Non adeo sum amens!

BILBILITANUS



# BIBLIOGRAPHIA

KLINGNER, F. — *Virgil: Bucolica, Georgica, Aeneis*. Artemis Verlag, Zürich, 1967. Pag. 608, 78 F.

F. Klingner, in Universitate Monacensi Professor, quamplurimis superioribusque operibus jam diu Vergilio operam navavit. Nunc vero omnibus qui mantuanum poetam colunt, diutissimarum vergiliani operis meditationum fructus offert.

Bucolica hic apparent textu latino germanicaque interpretatione instructa atque exornata; quibus commentarium saepe locuples et abundans (cfr. Ecloga IV cujus commentariis decem et amplius paginae occupantur) insequitur. Ad Georgica et Aeneiden quod spectat F. Klingner neque textum neque versionem sed tantum abundans commodat commentarium. Unumquodque Vergilii opus singillatim inquiritur omnesque ejus quaestiones penitus sciteque ab auctore disputantur. Quapropter opus non modo germanos verum etiam totius orbis terrarum Vergilii studiosos juvabit.

Ecce totius operis index: Bucolica (p. 9), Georgica (p. 175), Aeneis (p. 365). Index auctorum (p. 603).

DELAUNOY, A-REMY, L. — *Poètes et Prosateurs latins*. Pages choisies. Première partie: Textes. *Poètes latins*. Classe de Seconde. Première partie: Textes Deuxième partie: Préparation. Pag. 100 et 55. Maison d'Éditions Ad. Wesmael-Charlier, Namur, 1967. Pag. 288.

Clarissimi Professores A. Delaunoy et L. Remy scripta selecta nobis offerunt textuum latinorum e

poetis vel e solutae orationis scriptoribus excerptorum. Summa auctorum novitas videtur varietas quaedam mira in scriptoribus quamplurimis seligendis; quam ob rem e tritissimis exire viis licet minusque notos in litteris humanis scriptores adire, quorum momentum humanum vel historicum jure videtur maximum. Vel quod ad scriptores classicos spectat, auctores hujus anthologiae textus eorum nimis notos praeterierunt aetatisque nostrae magis magisque adaptare curarunt.

Notanda quoque ut novitas tabula synoptica historiae ac litterarum qua scriptores latini aptius illustrantur. Ad voluminis faciliorem usum notulae, quibus textus explicantur, ad minimam partem contractae sunt; non nullis summum lineis, quasi textus prooemio, res tractandae praebentur. Fasciculus separatim typis mandatus perutilis erit adulescentibus ad arduum saepe classicorum scriptorum studium in iis quae ad quaestiones semanticas, grammaticas, historicas, mythicas attinent, et etiam magistris qui ad pericula discipulis subenda nudo volumine sine notulis seu duntaxat textu simplici utentur.

DE WIT-TAK, T. M. — *Lysistrata: Vrete, vrouw en Obsceniteit bij Aristophanes*. J. B. Wolters, Groningen, 1967. Pag. 143. 12'90 Fl.

Comoedia Aristophanis, cui index "LYSISTRATA", quamplurimas hucusque suscitavit quaestiones. Ex iis tres disputandae hoc opere seliguntur.

Primum quod ad *pacem* spectat. Aristophanes sese rebus publicis

temperatoque imperio populari immiscuisse videtur. Tribus saltem comoediis pacis praeconium fecit, quia infelicium miserebatur hominum qui vehementer crudeliterque bello vexarentur (p. 1).

Deinde de *muliere* agit auctor. M. T. De Wit-tak mulierem defendit minime, ut hucusque creditum est, a negotiis rei publicae affuisse; semper belli fructus prima percipiebat mulier, quae sua parte omni culpa vacaret cujusque maternum opus graviter periclitaretur (p. 27).

Denique tertiam rem auctor attingit. Nemini est infitianda *obscenitas* quaedam in Aristophanis comoediis, sed non nulla occasione procax ejus dicendi genus ad lasciviam pornographiamque proprie accedit. Considerandum sane in non nullis cultibus, praesertim in dionyseis, obscenitatem inesse procacitatemque dicendi in "LYSISTRATA" haudquaquam ea quae argumento ac necessitate requiruntur, superare (p. 93).

On fine operis fit Summarium (p. 125), Locorum index (p. 134), Bibliographia (p. 139).

WILLETTS, R. F. — *The Law Code of Gortyn*. Introduction, translation and commentary. Walter de Gruyter. Berlin, 1967. DM 128.

Gortyna, si Strabonis probamus sententiam, simul cum Gnoso Cydonaeque una e tribus praecipuis Cretae urbibus numerantur; quae sub imperio romanorum provinciae Cretae et Cyrenaicae caput exstitit.

Ibi columnam, muro cujusdam molae inclusam inscriptionibusque arcaicis coopertam, anno 1857 L. Thénon invenit. Si archaeologus profundior in effodendo navasset operam, murum orbiculatum reperisset

quo duodecim continebantur columnae inscriptionibus contactae. Quae partim anno 1879 ab Haus-soulier, partim anno 1884 ab Halbherr inventae sunt. Juridicae erant inscriptiones, scilicet legum codex, qui hodie vulgo "Gortynae Leges" inscribitur.

Unaquaeque columna, excepta ultima, circiter LV lineas continet. Litterae boustrophedon scriptae apparent, vetus alphabetum digamma includit, dialectos doricus est saec. VI-V ante Ch. n., sed instituta quorum testimonia affert satis antiquiora videntur.

En quae ab auctore doctissime tractantur. Prima Pars: 1. Gortynii Codicis inventio. 2. Lingua Codicis. 3. Tempus legumque finis. 4. Instituta socialia apud cretenses. 5. Dominium, matrimonium, regale imperium. 6. Heres feminea. 7. Adulterium atque divortium. 8. Liberi non legitimi. 9. Adoptatio. 10. Justitiae administratio. Altera Pars: Textus anglico sermone rite conversus. Tertia Pars: Columnarum commentarium. Libri de re, praeter alia opera epigraphica et commentarios, selecti numerantur. Postremo indices inveniuntur: verborum, Codicis locutionum, deorum, hominum, locorum. Et in extremo opere XIII tabulae columnarum Gortynaeque situs exhibentur.

MORFORD, M. P. O. — *The Poet Lucan: Studies in Rhetorical Epic*. Basil Blackwell, Oxford, 1967. Pag. 93. 25s net.

Vix inveniri potest iudex litteratus qui in aestimanda Lucani Pharsalia poetam Cordubensem non insimulent quod nimium arti rhetoricae indulserit. Hoc tamen opere M. P. O. Morford demonstrare contendit

quantum rhetorices poesi epicae conferre valeat, eo consilio ut omnibus probetur locus quem rhetoricae Lucanus tribuerit in Pharsalia.

Liber allatus est ad doctoris dignitatem assequendam in Universitate Londinensi anno 1963 hoc indice: "Aspects of Lucan's Rhetoric". En qui sequuntur varii operis aspectus: Introduction (IX-XI) I. The Elements of Lucan's Rhetorical Technique (1). II. Lucan and Alexander the Great (13). III. The Literary Background to Lucan's Storms (20). IV. Lucan's Storms: Analysis and Discussion (37). V. Divination and Magic (59). VI. Lucan's Dreams (75). VII. Conclusion: Lucan and Rhetorical Epic (85). Select Bibliography (89), Indices (91).

Quintilianus putabat Lucanum potius tamquam exemplum oratoribus esse commendandum quam poetis; contra M. Morford defendit multo magis quam oratorem, poetam eum exstitisse faciliusque nos id animadversuros si Lucanus opus perficere suum potuisset.

Roos, A. G. - WIRTH, G. — *Flavii Arriani quae exstant omnia. Vol. I: Alexandri Anabasis*. Lipsiae (Leipzig) in Aedibus B. G. Teubneri, 1967. Pag.: V-LVI, 1-450.

"Arriani Nicomedis operum editionem, quam maxime necessariam A. G. Roos inter annos 1907 (Anabasis Alexandri) et 1928 (rell. opp.) muneri suo miro quodam studio per plus quam quinque lustra deditus luculentissime confecit, Aedes Teubnerianae denuo prelo subiciant, satis superque causa esse videtur". Quibus verbis indolem atque momentum ostendit hujus correctioris editionis G. Wirth, qui addenda et corrigenda adjecit.

Primum ad Prolegomena (V-I.V) accedamus quibus quattuor capita comprehenduntur. En caput I: *De codice archetypo* (V-XI), unde ceteri omnes originem traxerunt; qui codex auctori videtur Vindebonensis histor. Gr. 4. Codex describitur: bombycinus, saec. XII exeuntis vel XIII incipientis, 160 foliis constans, Arriani Anabasin continens, nitide et accurate scriptus litteris satis magnis. Caput II: *De codicibus apographis* (XI-XXXVI), ubi inter plura numerantur Cod. Salmanticensis Bibliothecae Universitatis 1,2, 24 et 1,2,22. Caput III: *De ceteris subsidiis criticis* (XXXVI-XLI) A. Anonymus de obsidione toleranda; B. Excerpta de sententiis, de legatis, poliorcetica; C. Grammatici et lexicographi. Caput IV: *De veteribus editionibus et de ratione hujus editionis* (XLII-XLIX). Inter plura haec notari oportet: "Veteres editiones recensebimus, ut videamus, ad quorum codicem fidem... Arrianus hucusque editus sit... In hac editione curanda et apparatu critico instruenda hanc viam ingressus sum".

Deinde Conspectus librorum (LVI-LXIV) seu Bibliographia, Conspectus siglorum (LXV-LXVI), Textus apparatu critico instructus paginas 1-390 occupat.

Denique indices inveniuntur: Index nominum (391-426); Index auctorum (426); Excerpta Photii (427-431); Addenda et corrigenda (432-450).

Roos, A. G. - WIRTH, G. — *Flavii Arriani quae exstant omnia. Vol. II: Scripta minora et fragmenta*. Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri 1958. Pag. V-LXVIII; 1-349.

"Codicem, qui Arriani Anabasin continent, plerique Indicam quasi

Anabaseos appendicem ei subjunctam habent. De eis egi in Prolegomenis ad Arriani Anabaseos et Indicae editionem criticam (Diss. Groning. 1904) et in hujus editionis vol. I (1907) praefatione". Ita loquitur clmus. vir A. G. Roos in prooemio, in quo de codicibus scite disserit (V), De ceteris subsidiis criticae (VI), De editionibus Indicae (VII), De Cynegetico - De cod. Palatino Graeco 398 (XI), De Demetrii Pe-pagomeni Cynosophio (XII). De editionibus Cynegetici (XIII), De periplo Ponti Euxini - De cod. Palatino gr. 398 et de ejus apographo Londiniensi (XIV), De ceteris subsidiis criticis (XV), De editionibus peripli Ponti Euxini (XIX), De tactica et de acie contra Alanos - De Cod. Laurentiano gr. LV 4 et de Codicibus ex eo derivatis (XX), De ceteris subsidiis criticis (XXII), De editionibus tacticae et aciei contra Alanos (XXVI), De fragmentis de rebus physicis (XXVII), De epistula ad L. Gellium (XXIX), De Arriani operibus historicis nunc perditis (XXIX), De operibus Arriano injuria attributis (XXXIV), De rebus orthographicis (XXXV), De hujus correctioris editionis indole (XXXVIII), ubi G. Wirth, qui non nulla addenda et corrigenda in hac editione adjecit, nomina quoque contulit eorum qui summis laudibus editionem Roosii a. 1928 extulerunt, haec verba lectoribus habet: "Hujus autem voluminis praeter Indicam illam libris, quod nulla re nisi fragmentis tantum nititur, ita dedi operam, ut ex libris antiquorum, quibus haec fragmenta contineantur, adderem, quae mihi quidem singulos Nostri locos illustrare videntur, a viris doctis alias partim notata".

Deinde fit conspectus librorum

seu Bibliographia (XLVI), Codices (LVI), Testimonia de vita Arriani (LVIII), Conspectus operis (LXVIII), Textus (1-290). Indices: I. Index auctorum (291) II. Index nominum et rerum (292) III. Comparatio numerorum (320). Addenda et corrigenda (325).

Denique in operculis tres tabulae adiciuntur: I. Nearchi navigationis pars orientalis II. Nearchi navigationis pars occidentalis III. Ponti Euxini periplus secundum Arrianum.

PANTALEONI, M. - CALBOLI, G. — *Aloysii Galvani, De ossibus lectiones quattuor, nunc primum editae.* Thesaurus Latinitatis, Vol. I. Edit. Compositori, Bologna, 1966. Pag. 190. Lib. It. 2.700.

TONDINI, H. — *Xanthi Viriati Scripta Latina nunc primum edita.* Thesaurus Latinitatis, Vol. II. Edit. Bononiae in aedibus Compositori, a. 1967. Pag. 114. Lib. It. 1.900.

Optimis omnibus commentarios qui "LATINITAS" inscribuntur prosequimur, quod nobis his primis duobus magni aestimandis voluminibus exquisitissima veste typographica indutis "Thesaurum Latinitatis" reserare incipiunt. In limine quasi hujus "Thesauri" ejus auctorem meritissimum Hamletum Tondini audiamus qui propositum incipientis seriei operum latinorum edendorum aperte nobis patefacit: "Peropportune enim deliberaverunt (qui moderantur Latinitati), novam libellorum seriem, quandam quasi Commentariorum nostrorum propaginem, sensim edendam curare, qui ad rem nostram pertineant, eique nonnulla afferant incrementa, Scilicet Deo suffragante, in vulgus gra-

datim emitemus opera, post renatas litteras, latine exarata, quae aut nondum fuerint foras data, aut, licet olim fuerint prelo impressa, hodie tamen sint inventa rara, aut nostris hisce diebus composita sint; quae nihilominus omnia, vel ob libri argumenti, vel ob scriptoris auctoritatem, vel ob sermonis elegantiam, in suo quodque genere, singulare momentum et pondus habeant”.

Opus Aloysii Galvani aggrediamur recensendum. Hoc primo serici volumine selectae scitaeque “De ossibus Lectiones quattuor” continentur. Nunc vero quid magis miremur nescimus utrum tantam in subobscura re medica sapientiam an ejus elegantem subtilemque sermonem latinum, quibus cum doctissimus medicus tum litteratissimus vir Aloysius Galvani innotescit.

Volumen dividitur in partes tres quarum primam et tertiam Marina Pantaleoni, Medicinae Doctor medicarumque rerum historicarum peritissima italice exaravit de vita et operibus A. Galvani in dictione anatomica, de ejus studiis docendique muneribus, de lectionibus illis de ossibus quattuor, deque Galvani aequalium in re osteologica cognitionibus; quibus rebus commentarium annotationesque in tertia parte adjecit.

Pars altera textum latinum comprehendit, aptissimo apparatu critico instructum, elegantissimo sermone italico a Gualthario Calboli, viro de litteris latinis bene merito, conversum.

Nunc vero iudicium instituamus oportet de altero ejusdem seriei libro quo Xanthi Viriati clarissimi saec. XV scriptoris latini continentur scripta: epistulae, commentationes, carmina; quae nunc primum latine doctissimus vir Hamletus Ton-

dini quasi e bibliothecae tenebris eripit et sermone italico elegantissime apissimeque interpretatur. Qui non tantum accuratissimam perfectit interpretationem, verum etiam in praefatione doctissime disseruit de X. Viriati aetate, de ejus aequalibus viris Foroliviensibus—in primis Ordelaphis, Nomaiis—, de vita, moribus, familia scriptoris, peropportunis adnotationibus illustrans.

Hac in editione vernacula versione instructa qui legerit epistolam illam quae “de vita misera” inscribitur vel illam “ad Luffum Nomaium” mentem non movere, non delectare non poterit, cum tantum animi ardorem, tantam argumentorum vim tantaque doctrinae exempla, quibus Xanthus Viriatus utitur in dicendo, perspexerit.

Feliciter eruditiis parestantissimisque viris Joanni Baptistae Pighi et Hamleto Tondini qui huic Bibliothecae vulgandae moderantur quosque comiter sed instanter rogamus ut tam nobile inceptum—“Thesaurum Latinitatis”—novis voluminibus fortunent atque locupletent.

WESTERINK, L. G. — *Arethae Archiepiscopi Caesariensis scripta minora*, Vol. I. Edit. B. G. Teuner, Lipsiae (Leipzig), 1968.

Bibliothecae Scriptorum Graecorum et Latinorum Teubnerianae Corpus denuo locupletatur Arethae Archiepiscopi Caesariensis scriptis minoribus, Vol. I, Lipsiae in lucem nuper editis.

In hujus editionis praefatione primum de Codice Mosquensi scitissime agitur, a Maximo Margunio exarato, qui materiam codicis ex pluribus exemplaribus congressit;

quo tempore exaratus sit codex, quo modo "manu docta, non invenusta, sed properanti, orthographia accurata" conscripserit scriba. De notis marginalibus etiam tractatur deque origine codicis (IX-XVIII).

Deinde de ceteris subsidiis seu de aliis codicibus disputat auctor, scilicet, de codice Cosinitsae (Cosphoenissae), de codice Athous Bapopedii 456, de versione latina trium opusculorum Arethae ab Aloysio Lipomano perfecta (XVIII-XX).

Denique de ratione hujus editionis ipsum auctorem audire licet: "Eorum qui ante me Aretham vel totum vel Mosquensem edere instituerunt (O. von Gebhardt, C. de Boor, S. B. Kougeaz, J. Compennass) nemini contigit ut inceptum consumarent... itaque magna ex parte scripta minora iam typis vulgata erant, ita tamen ut per viginti fere volumina dispersa essent". — "Ipse nihil hac editione egi nisi ut studiosis historiae et theologiae Byzantinae et litterarum classicarum textum integrum et fide dignum proponerem. Codicem Mosquensem photographorum ope partim transcripsi, partim cum editionibus contuli". "In correctionibus aut meis aut alienis recipiendis cautior fui, non quod credam textum Arethae omnino sine mendis ad nos pervenisse, sed quia Arethae tanta licentia in formis verborum et in constructione orationis usus est, insolentissima quaeque scriptorum veterum de industria imitando et adaugendo, ut difficillimum dijudicatu sit, ad quam legem talia exigere oporteat".

Editiones Arethae cognoscendae praebentur (XXIV-XXVI). Versiones anglicae, francogallicae, latinae, neograeca, russica numerantur (XXVI). Sigla apponuntur (XXVII). Post praefationem textus graecus

apparatu critico instructus invenitur (I-362).

CAMPS, W. A. — *Propertius, Elegies Book II*. Cambridge University Press, 1967. Pag. V-VIII; 1-236. 35s net in U. K.

W. A. Camps, in Universitate Cantabrigiensi Profesor, qui I librum Propertii Elegiarum anno 1961, IV librum anno 1965, III librum anno 1966 in lucem vulgavit, nos II libro in praesentia donat. Omnes hujus libri Elegiae, ut superiores libri I. Cynthiae devoentur amori, tam fideli, tam versatili, tam perfido, cui poeta, quod aliter ferre non valet, quamvis invitus non resistet.

Haec II libri Propertii editio, quae ultima a clmo. viro W. A. Camps est vulgata, eandem fere rationem quam in exarandis superioribus libris I, III, IV servavit auctor: textum offert admodum jam stabilitum, sati; superque annotationibus illustratum, quo lector hodiernus facilius sermonem latinum intellegat calleatque cogitata et sensa hujus difficilis sed praestantissimi poetae, qui in contrarias partes vocari solet.

In hisce Propertii Elegiis commentario exornandis W. A. Camps non tantum recordatur alumnos superiorum curriculum humanarum litterarum verum eos etiam quorum humanum cultum cognoscere in universum interest.

Illic liber II, ut ante I, tantummodo fere continet amasii sensa atque cogitata diversissima: poetae enim animus interdum e furore ad summam tranquillitatem in uno eodemque poemate mutatur. Ad extremum vero librum animi commotionum copia fit rarior, adeo ut

postea, indulgentior jam jam atque tolerantior, Cynthiae perferat versatilitatem tamquam necessariam rerum condicionem sine quibus ne ipse quidem vivere possit.

W. A. Camps commentariis termini locique, qui aliquam habeant difficultatem in primis verba quae in sermone erotico alia significatione usurpantur, satis superque explicabuntur. Quare vehementer lectoribus commendamus opus cujus hae dotes videntur: sapiens iudicium, accurata disciplina, dilucidus ordo.

WALTON, F. R. - GEER, R. M. — *Diodorus of Sicily, XII, Books XXXIII-XL, Index*. W. Heinemann Ltd., London, 1967. Pag. 675. Price: 25s net.

Diodorus Siculus est historicus graecus (Agyrio loco ortus 80-20 ante Chr. n.) qui XL de historia mundi conscripsit libros, quibus index "Bibliotheca Historiae", quosque in partes tres divisit: mythicam gentium historiam, non graecorum et graecorum qui in bello trojano interfuerunt, historiam mortis Alexandri (323 ante Chr. n.), historiam usque ad annum LIV ante Chr. n.

Ex his omnibus historiis tantummodo habemus libros I-IV (Aegyptiorum, Assyriorum, Aethiopum, Graecorum), libros XI-XX (quibus Graecorum res gestae ab anno 480 ad annum 302 ante Chr. n. continentur); ex reliquis libris tantum fragmenta restant.

Diodorus Siculus fuit scriptorum collector omni ratione critica destitutus: tamen optimis fontibus usus est eosque fideliter descripsit; maximi erit momenti in iis quae ceteris scriptoribus desunt et in primis quod ad libros XXXIII-XL spectat, quorum fragmenta a clmis.

viris F. R. Walton et R. M. Geer textu graeco atque interpretatione anglica instructa, Domus Editrix W. Heinemann accuratissime edidit. Praeter alia, maxima commendandus index propter copiam rerum et abundantiam.

QUINN, K. — *Virgil's Aeneid, A Critical Description*. Routledge et Kegan Paul, London, 1968. Pag. 448. Price: 13 os. od. net.

K. Quinn, Litterarum humanarum meritissimus Professor, qui in lucem edidit "The Catullan Revolution" (Melbourne University Press, 1959) et "Latin Explorations" (Routledge, 1963), quique Catulli commentariis exarandis in praesentia vacat, novo nos donat opere cui index "Virgil's Aeneid, A Critical Description".

Ut ex indice patet, auctor lectores adjuvare cupit qui Vergilium sive latinum sive anglicum adeunt; neque liber manualis neque commentarium videtur opus, sed "descriptio quaedam critica" seu contemplatio —ex plurimis quasi angulis habita— structurae poseos vergilianae. Iis tamen ab auctore opus destinatur qui Vergilio non tantum jam delectantur vel in eo sunt ut prope delectentur, sed etiam quibus Vergilius est in fastidio atque in despectu.

Accurate XII librorum explicationi anteeunt praevia exploratio Aeneidos finis, recognitio atque revocatio rerum adjunctarum quae ad historiam artemque spectant, descriptio praecipuarum linearum quibus exoritur ae ducitur poematis structura. Duo praeterea capita ansam praebent ad quam plurimas quaestiones theoreticas disputandas, exempli causa, de formae explica-

tionē, de verborum origine atque conformatione ceterisque.

Nihil dubii est quin opus eorum voluptatem adaugeat qui Vergilium amant et colunt; tamen legentibus intentissimo opus est animo, cum minime videatur auctoris liber qui uno quasi tractu obiter legi possit. Idcirco lector, in cogitatione defixus semperque ante oculos Vergilii textum habens, interdum quoque a Professoris K. Quinn opinione non-nihil dissentiet saepissime autem nova fruetur luce qua Mantuanum perfundit interpres qui tam scite diuque vergilianis operibus studuerit.

WEST, D. — *Reading Horace*. University Press, 22 George Square, Edinburgh 8, 1967. Pag. 156. Price: 25s net.

Aetate nostra Horatius non illa, qua olim, aestimatione fruitur apud doctos. Idque sive quod perpauca humanarum litterarum alumni ad dicendum de poesi permoto animo pares inveniuntur, sive quod critici litterati sermonem latinum neque intellegunt neque callent. David West auctor, qui peritissimus linguae latinae est cultor, ostendere nititur quo pacto Horatii poetae carmina jucundo legentis animo nunc possint degustari.

Prima voluminis pars est introductio quaedam ad sapidiorem quamvis difficiliorem Horatii poesim, ubi auctor demonstrare contendit summam in primis exoriri voluptatem ex imaginibus, quae apud vatem venusimum pleniores amplioresque quam apud quemlibet alium poetam classicum inveniuntur.

Altera parte D. West prima praesertim carmina libri primi explicanda arripit; maxime autem no-

tantum quantum auctoris intersit legentes admonitos habere Horatio admodum arridere metaphoram seu verbi translationem, non ea quae cogitabilia tantum sed quae visu, tactu, sensu ullo capiuntur, specificas quoque immo et technicas saepe locutiones et eas quae e quotidianis hominum negotiis derivantur. Adeo ut David West defendere audeat latinos alacriore animo quam nos commoveri obvio sensu verborum metaphorice usitatorum plurimasque Horatii verbi translationes multo magis logicae rationique consentaneas esse quam quod ipsi putamus. Quam opinionem auctor selectis Epistularum Carminumque locis Horatii acutisque commentariis et argumentis corroborat.

SALMON, E. T. — *Samnium and the Samnites*. Cambridge at the University Press, 1967. Pag.: I-XII, 1-447. 75s net.

Qui litteras historiamque romanorum amamus, clmo. viro E. T. Salmon gratulari debemus, quod de Samnio in lucem dedit opus scitissimum, cujus indicem, ut lectores nostri quandam habeant notitiam, praebemus: List of maps (VI), List of plates (VII), Preface. 1. The sources (1) 2. The land (14) 3. The people (28) 4. The culture: a) Everyday Life b) The Economy c) Government d) The Army e) Language f) Art and Architecture. Appendix: Note on the Sabellian tomb-paintings g) Religion. Appendix: Note on Livy's reference to Samnite writing (50-186) 5. The First Samnite war (187) 6. The second Samnite war (214) 7. The third Samnite war (255) 8. The Pyrrhic war (280) 9. Roman domination (293) 10. The end of the Samnites (340) 11. Con-



clusion (400) Bibliography (405) Index (417).

Samnum, regio illa montana Italiae interioris Marsorum, Pelignorum, Frentanorum, Apulorum, Lucanorum, Campanorum finibus circumscripta, diutissime Romae obstitit. Samnites ergo annalibus rei publicae Romanorum jam inde celebrantur ex quo regio illa sese quasi vallum quodam extruxit, quo Romani ab humano Graecorum cultu Italiam meridianam habitantium prohiberentur.

E. T. Salmon opus magni omnibus aestimandum, praesertim cum primus auctor regionem illam descriperit ejusque historiam, humanum incolarum cultum, tria cum Samnitibus bella, bellum cum Pyrrho, romanam dominationem narrantam investigandamque susceperit. Si Samnites pro libertate tuenda animose contenderunt, E. T. Salmon asserit eosdem saepissime facinora Romae adversus alias Italiae regiones multum fovisse, nunquam rem publicam rite stabilitam exstitisse, hostibus Romae favisse superioribus bellis punicis belloque sociali, factionemque Marii in Sullam esse secutos.

VAANANEN, V. — *Introducción al latín vulgar*. Edit. Gredos, Madrid, 1968. Pag. 413.

Domus Editrix "GREDOS" de re linguistica latino-romanica legentibus offert volumen quod est conversio hispanica editionis francogallicae V. Väinänen, Professoris finnici, in aedibus Klincksieck parisiensibus anno 1967 vulgo datae. Conversio nobis omnino probatur, cum accuratissime sit ab Emmanuel Carrión exarata.

Opus in duas praecipue quasi

divisiones dispertitur, quarum alia est theoretica, alia litteraria. Prima quinque partes habet: *Prima pars*: DE LATINA LINGUA VULGARI: NOTIONES UNIVERSAE: A) Latinus sermo vulgaris et lingua latina B) Sermo latinus gentiumque orbis dominatio C) Linguae latinae "aetates" D) Sermonis latini vulgaris fontes E) Ab unitate inde latina usque ad romanicam diversitatem (25-60). *Pars altera*: DE SONIS: A) De litteris vocalibus B) De litteris consonantibus (61-126). *Tertia pars*: DE VOCIBUS: A) Notiones universae B) Elementa psychica C) Elementa socialia D) Elementa ethnica E) Fictio nominis seu onomatopoeia vocesque significanter expressae F) Derivatio G) Compositio H) Creatio vocum ope praeverbiorum I) Sensus mutationes (127-164). *Quarta pars*: DE FORMIS EARUMQUE MUNERIBUS: A) Notiones universae B) Nomen C) Verbum (165-234). *Quinta pars*: DE ORATIONE: A) De oratione simplici B) De oratione composita C) De constructionibus absolutis (235-266).

Pars, quam litterariam vocare licet, ex anthologia textuum constat latinorum qui locutionibus vulgaribus abundant. Quae anthologia partis theoreticae praestantissimum videtur complementum atque quodam modo campus seu locus ubi regulae superiores observationesque linguisticae ac grammaticae comprobantur. Textus maximi videntur pretii atque momenti: I. INSCRIPTIONES: A) Inscriptiones in parietibus defixae B) Tabellae defixionum C) Inscriptiones funerales. II. PYPRI ET OSTRACA. III. PETRONII SATIRICON: Cena Trimalchionis. IV. VETUS LATINA ET VULGATA. V. MULOMEDICINAE CHIRONIS ET P. VEGETII

TII RENATI. VI. ITINERARIUM (peregrinatio) EGERIAE. VII. GREGORII TURONENSIS HISTORIA FRANCORUM. VIII. LEX SALICA. IX. APPENDIX PROBI. X. GLOSSAE AEMILIANENSES (269-208).

Unusquisque textus latini sermonis vulgaris per utili commentario illustratur, quo manu quasi conducti alumni facilius in eis legendis edoceantur (309-329). In extremo opere verborum invenitur index, quae ad sermonem latinum, linguas romanicas, graecam, osco-umbram, linguas germanicas, aliasque spectant. Index auctorum recentium qui in opere memorantur. Index univ-ersus.

Pulcherrimum sane volumen in aedibus "GREDOS" in lucem editum magno erit adjuncto tum linguae latinae tum linguarum romanicarum cultoribus qui hispanico loquuntur sermone.

BERGERON, M. — *Psicología de la primera infancia*. Edit. Luis Miracle, Barcelona, 1966.

Bibliotheca "PAIDEIA" hunc finem tamquam praecipuum sibi proposuit: quam altissimam praebere cognitionem illarum quaestionum quibus saepe pueri afficiuntur. Quam ad rem assequendam tendunt scripta monographica in lucem edita, Doctore G. Heuyer et P. Joulia auctoribus, peritissimis rei paedagogicae viris adjuvantibus.

Unoquoque collectionis volumine peculiaris res tractatur, quae propter maximum ejus momentum ex aliis eligitur, exponitur atque disputatur a medici, psychiatris,

paediatris, paedagogisque recentissimis rationibus scientificis illustrata.

Opere, quod praebemus lectoribus, prima infantia investigatur. Liber in quattuor dispertitur partes, quarum *prima* haec continet: GENERALIDADES. I. La psicología del niño. Caracteres específicos de la psicología genética. Evolución de las ideas. Tendencias actuales (11-20). II. Estudio del niño. Su desarrollo físico. Medio ambiente y herencia (21-23). III. Elaboración del sistema nervioso. La organogénesis. Crecimiento y desarrollo (34-52). *Altera pars*: LAS MANIFESTACIONES PSIQUICAS DE LA PRIMERA INFANCIA. I. Período prenatal. Evolución biopsíquica del feto. El niño prematuro (53-61). II. El nacimiento. El primer año del niño (62-226). III. El niño de uno a tres años (127-180). *Tertia pars*: CONCEPCIONES Y PERSPECTIVAS DE CONJUNTO. I. Jean Piaget y la psicología de la primera infancia (181-207). II. Psicoanálisis y primera infancia (208-256). III. Arnold Gesell y el comportamiento del lactante (257-269). IV. La psicobiología de Henri Wallon (269-302). *Quarta pars*: APLICACIONES PRACTICAS MEDICAS Y PEDAGOGICAS. I. Aspectos médico-psicológicos. Higiene mental. Hacia una psico-pedagogía de la primera infancia (303-325).

Opus maximae utilitatis momentique et paedagogis et parentibus, qui quam opportunissime interpretari debent omnes perturbationes quae filiis vel pueris sibi conceditis accidere possunt, ut quam primum eis medeantur earumque causas a medio plane tollant.

M. MOLINA, C. M. F.

# B I B L I O G R A P H I A

SÁNCHEZ BARBUDO, A. — *Los poemas de Antonio Machado*. Edit. LUMEN, Barcelona, 1967. Pag. 437.

En opus peritissimi poeseos machadianae investigatoris, cui index "LOS POEMAS DE ANTONIO MACHADO". Auctor, ut ipsius verbis in prooemio fidem faciamus, sibi in primis proposuit penitissimum A. Machado poematum sensum inquirere, perscrutans simul et experientiam seu rem unde poema oritur et animi commotionem et formam seu verba quibus poema apparet.

Cum poema agredior —ut ipsis auctoris verbis utar— hoc primum revelare semper contendi, id est, quid re vera poema contineat vel continere videatur; deinde sensa seu animi commotionem a simplici cogitatione plane discernendam; denique formam seu discendi genus quo exprimitur poema. Maxime interpretis interest totum considerare poema, scilicet, rem intimam et verba; res intima in poemate semper inspicienda, sed semper quoque per verba quae una apparent. Poematis ita perspectis, apud poetas plerumque primo oculorum pellucidos ut A. Machado, haud raro necopinata legentibus saepe occurrunt.

RAHNER, K. — *Homiliario Bíblico*. Versión castellana de D. Ruiz Bueno. Edit. Herder, Barcelona, 1967. Pag. 216. 125 ptas.

Caroli Rahner opera omnium animos oculosque ad se convertunt. Li-

ber quem recensemus non certe videtur respondere argumentis rebusque quae ab egregio theologo germano plerumque tractari solent. Liber nihilominus parvi faciendus.

Volumen quod lectoribus nunc praebemus homiliarum seriem continet; quae habitae sunt non eo in primis consilio ut in lucem ederentur; servant ergo omnem verbi simplicitatem vivacitatemque quibus sacer orator audientes allocutus est. His enim homilias Pater Rahner christifideles manu quasi ducit ad quosdam difficiles textus sacros, ut ii propriarum miseriarum momentum agnoscant neque retro ignavi cedant in iis quae Verbum Dei ab eis expostulet. Hoc biblicum homiliarum sertum magno erit adjumento praesertim sacerdotibus qui hodiernis hominibus Verbum Dei praedicare tenentur.

GASPAROTTO, G. — *La peste Lucreziana in alcuni storici*. (Sallustio, Livio, Paolo Diacono), pp. 361-199.

Estratto dalle Memorie della Accademia Patavina di SS. LL. AA. Classe di Scienze Morali, Lettere ed Art. Vol. LXXIX (1966-67). Società Cooperativa Tipografica, Padova, 1967.

GASPAROTTO, G. — *Isidoro e Lucrezio*. La peste - IV le fonti dei Capitoli "De Pestilentia" del "De Rerum Natura" (XXXIX) e "De acutis morbis" delle "Origines". (IV, 6, 17-19), pp. 101-130.

M. MOLINA, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"  
venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET  
LAURIA, 5 BARCELONA (10)

---

JIMÉNEZ, Grammatica Latina ... ..	ptis. 60
" Repetitorium ... ..	" 60
" De Orthographia latina (altera editio) ... ..	" 20
" Index Orthographicus ... ..	" 5
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio) ... ..	" 90
"TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI	
JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.) ... ..	ptis. 10
" <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ... ..	" 12
* RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i> ... ..	" 10
* MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.) ... ..	" 12
* JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.) ... ..	" 10
" <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.) ... ..	" 10
" <i>Caesaris, De bello civili</i> ... ..	" 10
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i> ... ..	" 10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.) ... ..	" 12
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.) ... ..	" 10
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i> ... ..	" 8
* ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i> ... ..	" 12
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I) ... ..	" 14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i> ... ..	" 12
Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, ptis. 6	

---

# Fundació Bernat Metge

## SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 165 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. II)
- 166 Tàcit - Annals (vol. III). Llibres V - VI, XI
- 167 Polibi - Historia (vol. II). Llibres XI - XII.
- 168 Xenofont - L'expedició dels deu mil (vol. I).  
Llibres I - III.

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA